

LIBRERIA JIMENEZ

Mayor, 66 - 68  
MADRID

CÁCERES.

Biblioteca de Don Josef  
Colón.

Caxon nº SA pte 2a n. 26

*Reg* *Ort*

*B* *G*  
*A*



AD TITVLOS  
DE BONORVM  
POSSESSIONE CONTRA TABVL.  
DE LEGATIS PRÆSTANDIS,  
ET DE INOFFICIOSO  
TESTAMENTO.

SCHOLASTICA  
ADVERSARIA.

PRO EORVM PUBLICIS  
PROPVGNATIONIBVS EX MO-  
RE ACADEMICO CONGESTA,  
NON DVM DIGESTA,  
AVT EXPOLLITA.

*A D. D. D. JOSEPHO  
Fernandez de Retes, I.C. Hon-  
tinerensi, & perpetuo Iuris  
Civilis Salmantino An-  
tecessore.*

---

Salmanticæ. Ex Officina Antonij à Cos-  
sio, Typographi Vniuersitatis.

Anno D. 1663.

ex libris Dr. D. Nederu Sangya alegida. & C. 1663

DE BONORUM

LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

DE BONORUM LIBERIUS ET TITULUS

See libro nomine Didaci de Paracelsus



VIRO KLARISSIMO,  
PRINCIPI, HEROI, ACCLAMATISSI-  
MO, ET NOBILISSIMO,

D. D. F. ALPHONSO A SAN-  
CTO THOMA.

ORDINIS PRÆDICATORVM ILLVS-  
TRISSIMO IVBARI,

EPISCOPO OXOMENSI.

D. EGIDIUS DE AZEDO ET GODOY,  
clientum minimus, seruorum addicissimus,  
& deuotissimus. S.



Ræceptoris mei edens aduersa-  
ria, quæ in quosdā Digestorum  
Codicisque titulos consarcina-  
uerat, verius quam expollie-  
rat, operis de more quæsui Pa-  
tronum, Mæcenatem. Cuius nomen libelli  
fronti adscriptum maiestate sua dignationem  
operi conciliaret. Nullumque ab utriusque  
voto, Auctoris, & Editoris commodius, utri-  
lius, augustius inueni, quam tuum, Clarissi-  
me Princeps. Cui fortean Auctor ignotus non  
est; non quia per Hispaniam notissimus; sed  
privatis rationibus, quibus comitè penetra-  
lia

lia affectus Illm<sup>e</sup>. T.D. aggressus iam est. Editor vero, qui sum, hac arte innotescere, & insinuari Tibi cupio, aliena ope, & opera; dum proprijs viribus, dicerem elucubrationibus, nisi ab etate erubescerem, gratiam tanti, tam iusti Mæcenatis possim promerer. Necessarij mei, quorum præfero nomina, quorum virtutibus censeor, non solum Illm<sup>e</sup>. D. T. deuincti sunt communia Sæctissima, & admodum venerabilis Religionis soladitio: sed peculia- riauore sunt dignati: ut videri possit agnationis ius nostræ, gratiam à tanto Principe consequi. Sit ergo remuneratio (absit superbia verbo) vel beneficiorum professio tabella hec, vel syngrapha deuotionis, quo me Illm<sup>e</sup>. D. T. deuoveo. Deuotum libens suscipe, ut faveas, ut foveas: quæ Virorum Principum propensio est, qui nascuntur, ut pro sint, ut prouehant. Vale Sanctissime Antistes Ecclesie, Regnique Solatum.

# LICENCIA.



*V P P O S I T A approbatione,*  
del señor D. Fernando de Vargas, Colegial Huesped del mayor del Arzobispo , y Cathedratico de Codigo en ella, à quien se comete, se dà la licencia , que se pide ; proueyolò el Illustrissimo señor Doctor D. Rodrigo de Mandiaà y Parga, del Consejo de su Magestad, Obispo electo de Almeria , Maestrescuela Chancelario desta Vniuersidad de Salamanca, en ella, à veinte y siete de Iunio , de mil y seiscientos y sesenta y tres Años.

*D. Rodrigo de Mandiaà  
y Parga.*

*Ante mi,  
Joseph Randoli.  
Secr.*

*VIR*

VIR KLARISSIMVS, PHYLOGIA,  
IVRISQ; PRUDENTIA EXCVLTISSIMVS  
D. Ferdinandus de Vargas Collegij maioris Archiepiscopi To-  
letani emeritus, meritissimusq; alumnus, & in hac inclytâ  
Academia Codicis Cathedrae dignissimus antecessor,  
Auctorem sic salutabat, ac de scripto cen-  
sebat, ex voto, affectu, &  
ex illustrissimi Chan-  
cellarij delega-  
tione.



ERPER AM hodie ( C. V. ) quid aut obsequio antecessuræ, aut amori nostro indulgebimus, quod non compositissimis verbis approbus tuus hic testetur libellus, cuius nec minimum apicem non sine publico compendio Academia suscepit, ita nec sine reverentia suspexit: cum non ingenuistè solum ad illarum virtutum plausum, sed innani properetur succesi ad laudes, malignis, quibus etiam debetur ab invitoribus prædicatio. Facile quippè hoc præconium erit, quibus dictionis tuæ colore, virtutisque calore fortunatissimo sidere apricari contigit, decurrant alij patentia scrip- torum tuorum æquora, & quidquid in eis ingeniosè excogitatum, dulciter dictum, atque atletice probatum est, obseruent, sectentur, & extollant; nos hacten tabule fixos suspendunt, quarum concinitati, & meutem, & vota gratissimè obtulimus, quæ non venustè solum ad veritatem, candoremq; Iurisprudentiae ducunt, sed ardenter impellunt. Quid hucusque bonorum possessionum, quid tabularum tractatio erat, nisi lignorum strues, cui politi defuit alicuius fabri dexteritas? In ipsis eccè iam quidquid Interpretum oscitantia delutavit, nitida, fœlicique asciola deluis: ac tandem earum opus, quo ad bonorum omnium sophiæ possessio- nem

nem ducimur ; studiosè contraxisti , pondere ; quam  
mole graviores esse cupiens , o opus æneis , ac imminor-  
talibus dignum tabellis , Apollineoque programmate ,  
vt in atrio totius Minervæ ad publicam Iuris institutio-  
nem pro foribus appendatur ! Lectorem tamen non è  
circunforanea turba poscit , ex qua plures philodicos ,  
quam vnum philocalum invenies . Sed tu agis securè ,  
( mi Doctor ) & immortalis quæstuosus famæ divitis  
ingenij tui census aureos hos quot annis Opusculos red-  
dit ; reddit alsi duè . Sed si deficiunt plures arato vix iu-  
risprudentiæ campo , quem vix alijs offringunt , tu eum  
tamen attente iacto iam large doctrinæ tuæ semine li-  
rare consuescis , additis hisce tabellis ad antiqui laboris  
vomerem : sic fiet , vt laudabilis ytilitatis culmus in-  
terminè gloriæ culmen præstetur . Sed quæ non adest ?  
( fideliter non blandè proferam ) dum pro te spondent  
illa in discingendis litibus peritiæ , dexteritas in docen-  
do , in disceptando acrimonia , stilus inoccidua dictione  
inolescens , nova in scriptis veritas , ac opulenta selectio .  
Quid iam ? gloriamur , gloriamur etiam , quibus talia  
cognoscere , talia laudare obuenit , vnde non mox peri-  
turum nomen nobis auspicamur , si fides reddenda Va-  
tibus ! Pindarum ausculta .

*A Dijs molimina omnia  
mortali bus virtutibus  
¶ prudentes , ¶ manibus fortes ,  
¶ lingua eximij , ac eloquentes nascuntur .  
Virum verò ego illum  
laudare cogitans , spero me  
ærea cuspide munitum iaculum non tanquam  
extra certamen , metamque iacturum .*

Huc usque irrumperebat gratissimi affectus candida vox  
Censoris munus oblita , quod ex delegatione illustrissi-  
mi Dom . D . Roderici de Mandia , & Parga nostræ  
Scholæ clarissimi Chancellarij , Abdærensiscj ; Episcopi  
sulce .

suscepimus; nec piguit seriò laudationis, quæ vtnam  
in latiorem huius scripti panegyrim reperet, in quo  
nihil Auctoris antiquis, & sanctissimis, quibus viuit, &  
scribit moribus, offendit. Sic censui: ex sacro nostro  
Archiepiscopali museo, Kalendis Iulijs. Anno Dñi.  
1663.

COLENDISSIMO PRÆCEPTORI,  
**D. D. D. JOSEPHO FER-**  
NANDEZ DE RETES, I. C. ET VESPERTINIS  
HORIS ANTECESSORI PERPETVO.

*Obsequentissimus discipulus D. Franciscus  
Ramirez de Lazcano, I.V.S.*

**ANAGRAMMA.**

*JOSEPHVS RETES,  
OS EIVS EST RETE.*

**PIGRAMMA.**

RETIBVS vt feruent quām plura scatentia piscium  
Eius gymnasij sic studiosa cohors.  
Plurimus vt piscis venit apprehensus ab hamo  
Eius vox hamus, quo sibi cuncta trahit.  
Ius Ciuale retat, multasque irretit ineptias  
Scripta docent (oscar, quisque momordit erit)  
Omnibus est tabula hic liber. EIVS RETEQ; cultis  
OS EST. Scholam Atlas substinet, ore libris.

D. IOANNES PEREZIVS DE  
Velasco, I. Professor Salmantinus Auctori,  
& Editori salutem.

VM nobis diu viuere negetur , quid dignius,  
quam aliquid relinquere, quo nos vixisse teste-  
mur? Quid præstantius, quid omnino laudabi-  
lius, quam ex cellenti quadam scientia , inge-  
niique præstantia de omnibus bene mereri? Ideoque præ-  
ceptor meus, candidissimus, & omnium, qui in hac Sal-  
mantina Vniuersitate nostris temporibus, iura excolūt;  
in lucem edit hos difficillimos iurisprudentiæ labores  
auditus non laudis, glorie, aut famæ, qua nō indiget, cum  
apud omnes Professores iuris in vniuerso Orbe sit cogni-  
tum Nobillissimi Præceptoris mei ingenium , eloquentia,  
& doctrina, qua est præditus ; sed potius vtilitatis er-  
ga studiosos. Quis in hac Salmanticensi Academia totius  
Orbis celeberrima, tanta cum omnium vtilitate , & ad-  
miratione leges est interpretatus! quis inextricabiles iu-  
ris nodos, obscuritates, & ænigmata tam docte soluit , &  
extricauit. Sed quid refero ; quod testantur tam longe  
difficillimæ leges, tam clare hic explanatae; & adaptatae  
menti Iuris Consultorum , quarum intelligentiam nec  
invidia mordebit. Sed editio huius operis cui debetur?  
Præstantissimo D. Egidio de Azedo, & Godoy, mihi fa-  
miliari amicitia coniuncto, cuius solicitudine, expensis,  
& precibus typis hæc dantur, in omnium vtilitate ; quid  
dignius laude potest in te inveniri, quam inferire publi-  
cæ vtilitati, omnes quidem ingratiti existerent, si inte lau-  
des debitas non rependerent ; sed ego certe essem ingra-  
tissimus, nisi singulari te quodam amore prosequerer,  
mi Egidi, quia expertus fui, quo labore, & diligētia fuisti,  
prosecutus, vt celerius in lucem venisset hoc opus.  
Qua ratione de me impetrare id potes, vt supra vires ni-  
hil non aggredi, te iubente, non dubitem. Vale, & viue  
diu felix.

STV

STUDIOSIS SALMANT. DOCT.  
D. Iosephus Fernande<sup>Z</sup> de Retes. S.



V& mihi soli , & Propugnatoribus  
meis adversaria comparaveram, defen-  
dendis assertiōnibꝫ, quas hoc ipso te-  
mestri publice exhibui disputationi: vt  
vobis morem geram, charitatem, & clari-  
ritissimi studiosi, publici iuris, imo ve-  
stri iuris facio. Schediola ipsa, opisto-  
grapha, tam avidè arripiebat, transcribebatq; (quod  
est dico, & vos metipso testes compello) vt durum mihi  
sit visum, tanti vobis constitisse his leuidensibus frui.  
Vnus vestrum, mihique affectu, & amicitia deuinctus,  
vrgere cœpit publicationem : & animo extorquenti  
chartam, à me postulavit: nondum nouissiniam ei ad-  
moueram manum, neque pumice postremo leuigau-  
ram: nihilominus negare non substinui, quod ardenter,  
audenterque efflagitabat. Ipse sumptus offert, & im-  
pendia promittit, procurat typographos, & ecce rem  
periculi sui facit. Qualem fidem, & in Magistrum de-  
uotionem posteritas mirabitur, si narratio hęc apud po-  
steros fidem inuenerit. Breue corpus videbitur, indig-  
numque tractationibus tantis, quod in publicum exit:  
tres quippe materias tanquam amplas, tam difficiles, tandem  
que in his scholis expertas, tam breui volumine com-  
prehendi impossibile videbitur primo obtutu molem  
libelli spectantibus: maximè, quia stylum dilatavi in lo-  
cis, quæ ex nostro Tryphonino occurrerunt, alijsque  
difficilibus dignis accuratori cura. Poscentque Horati-  
anum illud submurate: *amphora cœpit- Institui: currente*  
*rotā, cur vreus exit.* Sed precor, vt antepræiudicium,  
altius penetrant in hasce tractationes: & tum censeant,  
quid illis ad complementum desit. Mihi semper propo-  
situm est à lineis nō abire, parerga non obtrudere, quæ-  
stiones è cerebro Auctōrū natas nou discutere; in vnam  
Iurif-

Jurisprudentiam, id est Responsa Consultorum, Imperatorum rescripta, intueri. Et quasi illud in auribus semi-personat, quod olim Sacerdotibus ingerebatur, HOC AGE. Qui sic faciunt, citò se expedient à quavis iuris questione: credite enim mihi; non longa, non difficultima est iuris ars. Interprates nostri illam intricarunt, dum nihil pensi habentes ad id, quod sibi propositum est, stylum vertunt, conuertuntque ad libitum: & pugnaci studio magis cum alijs contendere amant, quam intendere ad rem ipsam. Nihilominus, si multa maneant indicta, facilius vobis erit, ea aliundè huc adducere; quam denuò tractatus istos aggredi. Quem scriptioris meæ fructum saltem spero. Valete.

OM-



*OMNIBVS STVDIOSIS SAL-  
MAN TINIS SALVTEM, ET FAVSTITATEM  
exoptat, & precatur D. Egidiū de Azedo, & Godoy  
in iure Canonico Baccalaureus.*



VM magnus P.M.D. D. Iosephus Fernandez de Retes, ( qui à proprio nomine captat auspiciū , omnes enim instar Retis capit ) Vespertinus meritò , & iure Legum Romanarum Antecessor Salmantinus ( quem gloriā invidiam vicisse, quod est inter mortales difficultimum, affirmare audebo, quem citrā omnium accidiam , & tedium probè , & rectè eloquentiorem Vlpiano appellare non verebor, quem Paulo nervosiorē, Callistrato dōctiorem, Caio fluentiorem, Africano subtiliorem, Scavola preſiorem, expressiō remque , Papiniano acutiorem ; Pompeio lucundiorē, Celso nitidiorem, & deniq; suo Tryphonino candidiorem dicere non erubescam. Quem intini spacioſo Occeano, marique profundo, & ſpumoso, vt est legum, potestatem , ſuē facultatem rei tantę, tamque difficultis ſecutum eſſe p̄meferam, imò & conſequutum eſſe profitear, vt loquar cum Cicerone ( licet rubeant aliqui , palleant, ſtupeant, & oſcident ) quem in opinione tam in diſputando , quam in affirmando, & iudicando, non vt Pythagoram, vñquāni p̄evaricatum , aut p̄eiudicatum vidi, aut inveni , nec immeritò, cum pro illo cogar in medium proiſcere illud, quod pro le iactat Martialis lib. 6. epigr. 42. aliás 61. irruens in quemdam invidam.

*Legiſtis mea  
Hispania.*

*Laudat, amat, cantat nos tr̄s mea Roma libellos;  
meque ſinus omnis, me manus omnis habet.*

Nec mirūm videri debet , eum non ſingulas, verūm omnes disciplinas percipiat, recipiatque ; hoc enim illi pro officio, ingenio , & facundia , & veri reperiendi causā, eſt propositum, & ſine forte adiudicatum: ò fons invi-

Invidiā, & emulatiōne digna! Et cui, nisi me fallit  
amor, hāc de causā omnes invidēt, & emulantur, vt  
possim etiam pro illo merito decantare cum eodem  
Martiali dicto lib. 6. & epigram.

*Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.*

Quem tanquam dominum, patronum, ac parentem di-  
ligo, & veneror, pro vt est ergā me dominus, patronus,  
magister, ac parens; tot enim titulis sum illi adstrictus,  
constrictusque, & quo si non sim stultus, nunquam carere  
vellem, (vt verbis utar Ovidij) in animo haberet Lug-  
dunum mittere, vt prælo daretur, explicationem titu-  
li, siue tractatus de bon. posess. contrā tab. & de legat. præf.  
in quo plura apostillat, texit, & contexit titulo *de in-*  
*officio testamento*, in qua omnem, aut fere omnē mate-  
riam illorum comprehendit, & suo more dilucide, ele-  
gantē, & ex nova plerumque observatione exponit,  
explicat, & illustrat; per quam ægrè tuli, cum conscius  
eius animi fui; quarè, cum menū aliter placare, & le-  
nire non poteram; à voto, & proposito eum divel-  
lere tentavi. Sed mihi gratulor, haud difficile obti-  
nuisse, quod anxiè, enixèque optaveram, vt sic citius  
in līcem prodiret opus dignum sanè tanto Magistro,  
quo illam præferrent tot iuris, & difficilia testimoni-  
a, quæ nondū eam viderant, (quamvis desiderarant)  
licet multi nostri iuris Civilis Coriphæi totis suis viri-  
bus præbère sint conati, & aggressi; sed minus fœlici-  
tēr, cum potius in illis multoties cespitarint, & cœcu-  
tierint. Iterum, atque iterum gratulor, Nobilissimi  
Studioſi, & tanti Magistri Discipuli amantissimi; quia  
Vobis hāc viā expediri citò proculo, quod in longum  
tempus illa impediebatur, protrahebatur, extendeba-  
turque. Gaudete nimis, gaudete; spero namquæ co-  
piosam exituram mercedem vestram, & nostram, ita  
precor, rogo, & exoro, vestris mecum annuite votis.  
Valete, & vivite diu fœlices. Ex nostro Salmantino  
Musæo Kalendis Augusti anno millesimo sexcentesimo  
sexagesimo tertio à mundo per Iesum-Christum D.N.  
redempto.

*Index*

*Index textuum, qui in his ad versarijs explicantur, aut illustrantur.*

**E** X prima pandectarum parte, scilicet, Digesto vetere.

Levitèr tacta lex mandatum 57. mandati cap. 1. num. 1. in fin. fol. 3.

L. si extraneo 46. de vsu fruct. cap. 8. n. 2. alias 3. f. 55.

L. si non mortis 25. de inoffic. testam. cap. 16. n. 11. f. 128.

L. posthumus 6. eod. t. cap. 16. n. 12. in fin. f. 130.

L. i. eod. tit. cap. 18. n. 4. f. 140.

L. cum mater 28. eod. t. cap. 18. n. 15. f. 150.

L. Lucius 47. de petit. hered. c. 19. n. 1. f. 156.

L. si instituta 27. §. 1. de inofficio testam. cap. 19. n. 4. in fin. f. 158.

L. qui de inofficio 20. eod. t. ibid. n. 5.

L. si quis 9. §. item sita. bulæ 2. de dolo, c. 2. n. 3. f. 164.

L. Papinianus 8. versic. sequenti loco, de inofficio testam. ibid.

L. pater 14. eod. t. ibid. num. 4.

L. si instituta 27. in princ. eod. t. c. 22. n. 2. & seqq. f. 178.

L. Papinianus 8. §. vlt. eod. t. c. 7. n. 3. f. 50. & c. 21. n. 1. in fin. f. 171. & c. 23. n. 1. f. 185.

§. quarta eiusdem leg. d. f. 50.

L. vlt. de postulando, c. 24. n. 7.

*EX SECUNDAPANDE-*  
*clarum parte, scilicet,*  
*Infortiato.*

L. singulos 30. qui testa-  
ment. fac. poss. c. 1.  
n. 4. f. 4. & 5.

L. illud 4. §. vlt. de bon.  
poss. contr. tabul. cap. 1. n.  
7. f. 7.

L. si impubes 7. §. inter-  
dum 6. de Carb. edict. ibi-  
dem, n. 8.

L. filius 10. de collat.  
bon. c. 2. n. 7. f. 17.

L. 3. §. si filium 3. de co-  
tratab. c. 3. n. 2. f. 22.

L. i. §. qui habebat 7. eod.  
t. ibidem.

L. i. §. si quis filium, si ta-  
bul. testam. nullæ exitab.  
d. n. 2. f. 23.

- L. i. §. si pater 9. de con-  
 iungend. ibidem.  
 L. i. §. filio 4. ad S. C.  
 Tertyll. n. 9. f. 29.  
 L. ita tamen 27. §. qui  
 rogatus 12. ad S. C. Tre-  
 bell. c. 4. n. 2. f. 31.  
 L. cum ex filio 39. de  
 vulgari. c. 4. n. 4. f. 33.  
 L. si duobus 12. §. i. de  
 contr. tab. c. 5. n. 6. f. 40.  
 L. si pater 17. eod. t. c. 4.  
 n. 10. f. 44.  
 L. si duob. 14. §. i. eod.  
 tlt. ibidem.  
 L. si præteritas 15. eod.  
 t. c. 6. n. 1. f. 46.  
 L. virilis 8. §. si quis ex  
 liberis 1. delegat. præst. d.  
 n. 1. in fin.  
 L. 3. ferè per totam eod. t.  
 c. 8. n. 5. f. 58.  
 L. sed et si cum seq. eod.  
 t. n. 6. ibidem.  
 L. intervenit 24. c. 8. n.  
 9. f. 61.  
 L. si cognatis 19. de reb.  
 dub. ibidem, n. 10.  
 L. exasse 52. ad leg. fal-  
 cid. ibidem, n. 13. f. 64.  
 Leg. si filius 23. si quis  
 omits. cauf. testam. c. 9. n.  
 4. f. 68. & cap. 11. num. 2.  
 f. 79.  
 L. filio 17. de iniustorup-  
 to. d. c. 9. n. 6. f. 71.  
 Leg. non putavit 8. §. à  
 n. 9. ibid. f. 115.
- primo de contr. tab. c. 10.  
 n. 2. f. 73. & c. 13. num. 5.  
 f. 111.  
 Leg. 2. de coniungend.  
 ibid. n. 3. f. 75.  
 L. si sub conditione 5. de  
 bonor. poss. secund. tab. c.  
 11. n. 4. f. 81.  
 L. quia autem 6. in prin-  
 cip. si quis omits. cauf. te-  
 stam. c. 11. num. 5. in fin.  
 f. 84.  
 L. Salvius 6. de legati.  
 præst. c. 12. n. 2. f. 85.  
 L. filium 5. §. is autem  
 8. eod. titul. ibidem, n. 6.  
 f. 89.  
 L. hi, quibus 23. eod. t.  
 ibidem, n. 8. fol. 91. & cap.  
 7. n. 3. f. 49.  
 L. ad eum 7. eod. t. ibi-  
 dem.  
 L. filium, §. si legata 5.  
 eod. tit. ibid. n. 6.  
 L. vlt. §. 1. & 2. de le-  
 gat. præstand. cap. 13. n. 6.  
 fol. 100.  
 L. cum emancipatus 13.  
 §. 1. de bonor. poss. contr.  
 tab. ibid. n. 9. f. 103.  
 L. si quis filium 5. de col-  
 lat. bon. c. 14. n. 3. f. 107.  
 L. at ubi institutus 11. de  
 legat. præst. c. 15. num. 8.  
 fol. 114.  
 L. siue autem 12. eod.  
 n. 9. ibid. f. 115.

Litem

L.item 13.ibidem, n.10.  
L.non putavit 8.de contr.  
tab.c.16.n.6.f.124.

L.1.¶. vlt. si à parent.  
quis fuer. manumiss. cap.  
16.n.3.f.139.

L.3.¶. si emancipatus 5.  
de bonor. poss. contr.tab.  
c.18.n.7.f.142.

L. si mater 33. de vulga-  
ri, cap.18.n.11.f.145.

L. sed cum patrono 6.de  
bonor. poss. ibidem, n.12.  
fol.147.

Illustratur l. vlt. de he-  
red. inst. ibidem, n.15.fol.  
150.

L. patronus 19.de bonis  
libert. c.19.n.1.f.156.

L. 2. de bonis libert. c.  
20.n.7.fol.267.

L. si patroni 55.¶. vlt ad  
S.C.Trebell. cap.12.n.3.  
fol.173.

L. virilis 8.¶. si adierit,  
c.7.n.3.f.50.

*EX TERTIA PANDE-*  
*clarum parte,*

L. virilis 145.V.S. cap.  
12.num.3.in fin.fol.  
87.

L. sciendum 32.de ma-  
num. testam.

L. cum quasi 30.¶. sed &  
si 10. de fideicommiss. li-  
bertat. cap.7.n.3.f.50.

*Ex Codice Iustinianeo.*

L. maximum vitium 4.de  
liber. præter. c.10.n.5.f.  
76. & c.18.n.2.f.137.  
L. omnino 30. de inoffic.  
testam. c.16.n.11.f.128.

L. si mater 3.eod. t. c.  
18.n.15.f.151.

L. hereditas de petit.  
hered. c.19.n.1.f.155.

L. si quis filium 34. de  
inofficioſ. testam. c.20.n.  
6.f.160.

L.4. eod. t. c.21.n.2.f.  
171.

L. cū mota 6. de trans-  
action. n.2. & seq. f.178.

L. 33. eod. t. ibid. n.5.  
L. cum te eo.t. ibid.n.6.

L.contractus 17.de fide  
instrum. ibidem.

*Ex Institutionib. Iustinianis.*

Princip. inst. vers. sed nō  
ita de exher. liber. c.18.n.  
2. in fin.f.138.

*Ex fragmentis regularum.*  
Leviter explicatur Vlpia-  
nus, titul. 28. in princip.  
c.1. n. 9.f.10.

Et titul. 20.¶. Latinus  
14. ibidem.

Et titul. 1.¶. lex furia  
23. & ¶. vlt. c.17.n.3.f.  
133.

Explicatur idem Vlpia-  
nus tit. 19.¶. lege, c.23.  
n.5.f.188.



# DE BONO RVM POSSESSIO NE CONTRA TABVLAS ADVERSARIA.

## CAPVT PRIMVM.

QVID SIT BONORVM POSSESSIO *contra tabulas, contra Lignum.*

*Ad Tryphoninum, in l. quod vul-*  
*gò 19. de bonor. possess.*  
*contr. tabul.*



TRYPHONINVS MEVS, VT AB  
hoc I. Consulto adversaria auspice-  
mur, disseriūs, subtiliūs, & elegan-  
tiūs, quam alij bonorum posseſſionem  
contra tabulas depinxit, descripsitq;  
in l. quod vulgò 19. de bonor. possess. contra  
tabul. Dixit esse contrà lignum. Sicle-  
gitur in archetypo Florentino, quam lectionem om-  
nium primum iavenisse in illo libro, tunc temporis re-

A

perto,

*Bonorum pos-  
sess. contrà lig-  
num dicitur.*

perto, se iactat Ioannes Ronchegallus, in peculiaribus re-  
citat. ad tit. inst. de bonor. posse. in §. sunt autem, folio  
mihi 95. sequunturque, ut par erat, Duaren. lib. 2. dis-  
put. cap. 30. Cujac. lib. 11. obseruat. cap. 14. et nille  
alijs in locis, Guillelm. Fornerius, lib. 2. select. cap. 9.

*Non contrarie  
gem.*

Archetypon  
Florentinum  
quà forma ex-  
aratum in-  
uentum fuisse?

*Sine interpü-  
ctionibus, quæ  
sunt ab inuen-  
tione nouitia.*

In antiquiorib. Codd. legebatur contrà legem, nullo, aut  
improbo sensu: quamuis Accursius, & Accursiani ex-  
posuerint, contrà voluntatem testatoris, quæ solet ap-  
pellari lex. auth. de nuptijs §. disponat. collat. 4. Et Go-  
ueanus, iudiciosus alioquin vir, sed qui exemplari Flo-  
rentino non fuit usus, lib. 1. variar. cap. 4. interprete-  
tur, contrà legem testamentariam, vti quisque legasit, de qua  
in l. verbis legis 120. de verb. significat. In transcurso liber  
notare, oculatum testem Ronchegallum (qui ipsum  
archetypon vidit, legit, cum alijs exemplaribus contul-  
lit) prodere nulla puncta, aut interpunctiones habuisse,  
interrogationes, interiectionesve. Ut inde appareat  
esse artem nouitiam chalcographorum, & excripto-  
rum, ad facilius percipiendum sensum clausularum.  
Eiusdem rei admonuit Lælius Taurellus, Antonium  
Augustinum Virum clarissimum, & longe eruditissi-  
mum, vt nobis testatum reliquit, lib. 1. emendat. cap. 8.  
Sed libri descriptionem demus ipsis Angeli Politiani,  
verbis sui temporis Suadæ, lib. miscellanorum singulari  
cap. 41. qui sibi illius visendi copiam factam fuisse à  
Laurentio Medicę Florentiæ Principe asseverat: ver-  
ba sic habent. Est autem liber haud quoda spoliorum, prædeq;  
Pisan. e portio, sepè à Consultis citatus, maioribus characteri-  
bus, nullisque intervallis dictionum, nullis item compendiarijs  
notis, quibusdaim etiam, saltem in præfatione, velut ab Auctore  
planè, à cogitante, atque generante potius, quam à librario,  
Ex exceptore inductis, expunctis, ac superscriptis. Quod tri-  
bus testibus omni exceptione maioribus negare sine  
pertinacia non possumus, alijsq; quibus credit Osuald.  
al Donell. lib. 14. cap. 21. litt. D. Hæc ideo notaui, quia  
vir doctus, qui olim auditorium nostrum auxit, remo-  
rabatur amplecti expositionem nostram, ad l. mandatum

57. mandati in succisiis ad ll. Atiniam, & Plautiam, ex num.  
 18. quia illa verba, NON UTILITER, non cingebantur, & ab illis non separabantur PUBLICIANA ACTIONE duobus altrinsecus comatibus: iniunxi, ut ipse distingueret, & si opus sibi videretur, apponaret comata, citra nullum piaculum; ab omni enim avoluit, quicumque hoc facinus patrarit, Antonius August. in fine dicti cap. 8.

**2** Sed ad rem. Dicitur contra lignum, id est contra exteriorem formam testamenti: contra quod competit, potius quam contra heredem, neque enim petit nullum aduersarium ex opposito, l. illud 4. ubi signanter Bartolus de contratabul. notant etiam Cujacius, lib. 12. qq. Papin. in l. si libertus 41. de bon. libert. Anton. Fab. de error. pragmatic. decad. 11. error. 7. & decad. 14. error. 7. Sufficit itaque extitisse tabulas, ex quibus hereditas adiri, vel bonorum possessio posset peti: licet neutrum eorum sequutum ex postfacto sit, vel sequi potuerit, ut Tryphoninus inquit. Tunc vero hereditas potuit adiri, quando tempore mortis testatoris vivunt, existuntque heredes in testamento scripti: quod si viuo testatore deceperint, nec sunt tabulae, nec est testamentum, l. non putauit 8. §. à primo 5. de contratab. l. sed si post mortem 10. §. non omnia de legat. præst. quod si post mortem testatoris deceperint heredes scripti, non evanescit semel nata bonorum possessio contra tabulas, d. §. à primo. Sic philosophatur de huius loci intellectu Antonius Faber, lib. 1. conjectur. cap. 19. & de errorib. decad. 13. error. 3. melius, ut puto, quam Accursius, & Bartholus. Sed pone, viuo testatore heredem scriptum decisisse: numquid eo in casu non invitatur Fiscus? Fit enim hereditas in causam caduci iuxta veteris legis Pa- piæ dispositionem. Imò si ex parte scriptus ante aper-tas tabulas decedat, hereditas in fiscum cadebat, l. vnic. §. & cum triplici. C. de caducis tollend. Vlpianus, in fragm. libri regular. tit. 17. de caducis. Non ergo videtur fore locum successioni filij vel ab intestato unde liberi, vel ex testa-

Tatia denud,  
1. mandatum  
57. mandati.

Contra lig-  
num, i. Con-  
tra exterior  
formam testa-  
menti.

S' ex eo hered-  
itas adiri po-  
tuit mortis re-  
pore, vel secun-  
dum tales ta-  
bulas bonorū  
poss. peti.

testamento per contra tabulas neutro ex his casibus.  
Respondeo, eaducarias leges aduersus parentes, liberos  
que vsque ad tertium gradum erubuisse iugum suum  
imponere, ut dixit Iustinianus, in d. l. vnic. in princip.  
& illis reseruatis ius antiquum, quod vigebat ante Pap-  
pias, & Poppæas rogationes. Vlpian. d. tit. 17. versic.  
hodie, & tit. 18. Quarè hac in re de eaducis tractari non  
potest.

*Internavitia  
testamenti, ve-  
luti sui prete-  
ritio, non ob-  
stant huic bonorum posse-  
fessioni.*

3 Interna vitia testamenti huic bonorum possessio-  
ni non obstant. Qualis est præteritio filij, aut posthumus.  
In modo posthumus ipse postea nascens, & rupens testamien-  
tu in paternū, potest aduersus tabulas petere bonorum  
possessionem, l. 2. C. de bonor. poss. contratabulas. Ex-  
terna vitia sunt, quæ ex tabularum inspectione mani-  
festantur: veluti defectus heredis, vel numeri testium,  
& similia. Interna sunt, quibus comprobandis questio-  
naris necessaria est; veluti si exheredandus est, vel insti-  
tuendus. Hoc non officit nostro edicto, notat Faber  
lib. 9. coniect. cap. 14. Illud vero officit, quia nec sunt  
tabulæ. Quid dicendum erit, si testator talis sit, qui te-  
stamenti factionem non habeat, veluti filius familias,  
deportatus, aut seruus? Non est dubitandum, quin ces-  
set bonorum possesso contratabulas, quia & cessat bo-  
norum possesso secundum tabulas, l. 1. §. exigit, cum  
seqq. de bonor. poss. secund. tabul. Cicero in topicis, quem  
clevi lib. 3. analiectode interdict. & relegat. num. 45.

*Defectus testa-  
menti factio-  
nis est vitium  
externum, &  
quare?*

4 Sed olim valde me torsit, quomodo vitium  
defectus testamenti factonis possit dici externum: oc-  
culis enim non cernitur, neque corporali visu manifesta-  
tur ex inspectione tabularum, testatorem fuisse hu-  
ius, vel illius qualitatis. Diù tamen volvens, & me-  
cum reputans, mihi comperui externum esse vitium  
testamenti, quod ex tabularum inspectione manifesta-  
tur. Pro fundamento habeo texsum Pauli in l. singulos  
30. qui testame ita facere poss. verbi sunt. Singulos testes, qui  
in testamento adhibentur, proprio chirographo annotare con-  
uenit, QVIS, & CVIVS testamentum signauerit. Ex quo  
noto

*Explicatur 1.  
singulos 30.  
qui testamen-  
ta facer. poss.*

# De bonor. posses. contr. tabul.

5

noto, testem debuisse de conditione propria, & de cōditione testatoris in ipsis tabulis extrinsecus testificari: quo siebat, ut recitato testamento, cuius recitatio praecebat bonorum possessiones, Paul. d. lib. 3. sent. tit. 3. §. 3. statim de non vitio, vel de vitio constaret. In exemplum adduco ex multis subscriptionibus, quas cum v̄ḡtūstis testamentis congerit Brision. lib. 7. defor-  
mul. ex pag. 679. in parvis. vnam affixam testamento D. Gregorij Episcopi Nazianzeni, quam sic in Latinam ex Gr̄ecalingua verto. Amphichius Episcopus Catholice Ec-  
clesie, que in Iconio est, simul testamentum Reuerendissimi Epis-  
copi Gregorij, & subiectas tabulas ipsius superscripti manu meā. Ecce exprimit testis, qualis esset conditionis tam ipse, quam testator. Ex quo sulpicor, sic subscriptisse, & ta-  
bulas testamenti olim testes consignasse. Caius Tutilia-  
nus pubes Ciui Romanus rogatus adfui nuncupationi testamen-  
ti Caij. Ämiliij Patris fam. ex illa tribu puberis, saepe munus,  
Ciuiisque Romani; subscripti, & annulo signauit. Vnde stan-  
tim apparebat, an secundum, vel contraria tales tabulas  
bonorum possessio dari posset. Quam nostram observa-  
tionem alijs vel illustrabunt, comprobabuntque, vel  
afferent meliorem explicandi modum.

5 Aliquando bonorum possessio contra tabulas inanis est, & solum confirmandi iuris civilis gratia, ve-  
luti quæ suis præteritis, siue superstitibus, siue posthu-  
mis datur: vel quæ ab initio caput competere, & pos-  
te evanuit, quia heredes scripti deceserunt, vel de-  
fecit conditio, sub qua fuerant instituti. De qua etiam  
loquitur Tryphoninus. Aliquando est efficax: veluti  
quæ cōpetit liberis præteritis, qui alio remedio rescinde  
re paternum iudicium non possent, neque rem auferre  
scriptis heredibus. Vtriusque valde diuersi sunt effec-  
tus: quos prosequemur infra in aduersarijs ad tit. de le-  
gat. prestat. Nunc verò sufficiat differentiam indicasse.

6 Ex bonorum possessionibus testamentarijs  
prima est, quæ præteritis liberis datur, & vocatur con-  
traria tabulas, ut Iustinianus nos docet disserte in §. sunt  
autem

De inanib. bono  
rum posses-  
sion. que  
competit  
suis præter-  
itis.

De efficaci,  
que competit  
emancipatis.

Ex testamento  
est.

# 6 Adversaria.

Cur dicatur  
prima pars e-  
dicti?

autem 3. inst. de bonorum possess. vbi secundo loco ponit honorum possessionem secundum tabulas. Ex quo dig-  
noscitur, cur nostra bonorum possessio prima pars edi-  
cti appelletur in l. filius 42. §. cum filius de bonis libertor.  
quia de illa prius edixit Prætor, quia potior in ordine  
est inter testamentarias, vt docebat excogitauit Cujac.  
in d. §. cum filius lib. 13. qq. Papin. & lib. 14. qq. eiusdem  
in l. scriptus 12. de Carboni. edict. Ut bonorum possessio

Precludit viā  
petitioni bono-  
rum posses-  
sionis secundum  
tabulas.

vnde liberi in ordine intestatorum dicuntur prima edicti  
pars in l. 1. §. sed videndum 11. de successorio edicto, quia  
potiori loco eam collocauit, quam bonorum possessio-  
nem, vnde legitimi, vnde cognati, vnde vir, & vxor. Fit  
ergo inde, quandiu imminet bonorum possessio con-  
tra tabulas, secundum tabulas peti non posse, l. 2. de se-  
cundum tabul. Adiri tamen potest, vt supponitur, imo  
expressè dicitur in l. filium 20. de contra tabul. notatque  
signanter Richegallus in d. §. sunt autem. num. 19. fol.  
mihi 102. Amplius tentat Gofred. in d. leg. 20. num. 7.  
etiam post petitam bonorum possessionem contra tabu-  
las, scriptum posse adire hereditatem. Quod in sua hy-  
pothesi de excepta persona instituta probat text, in leg.  
virilis 8. §. si adierit 2. de legat. prestand. In quo sublisto,  
mihi enim nondum liquet. Cum tamen certum sit, in-  
terim posse adire hereditatem; cur non potest scrip-  
tus bonorum possessionem secundum tabulas petere?

Ratio differen-  
tiae.

Existimo differentiam, eiisque rationem inde diman-  
nare: quod aditio hereditatis solo verbo, animoque  
peragitur, §. item extraneus 7. inst. de hered. qualit. & dif-  
ferent. Vlpian. in fragment. tit. 22. §. extraneus 25. usque  
ad finem, dominiumque tantum tribuit, sed non usum,  
aut possessionem bonorum l. cum heredes 23. de adquir.  
possess. Sed bonorum possessio, vt verbum ipsum pra-  
sefert, nedum ius tribuit successionis, & dominij bo-  
nitarij, sed ipsa bona, & eorum possessionem, usumque  
in petentem transfert: & quanvis prævaleat ius suc-  
cessionis, quod præcipue consideratur; tamen subsequi-  
tur bonorum fruitio, possessio, retentio, l. 1. 2. & 3. de

de honor. possess. in cuius §. 2. ita quancunque bonorum possessionem diffiniuit Vlpianus: *Ius persequendi, retinendique patrimonij, siue rei, quæ cuiusque cum moritur fuit.* Cum verò periculum posset esse, ne scriptus bona dilapidaret, dum pendet, & imminet contra tabulas bonorum possessio, meritò denegavit ei Prætor bonorum possessionem secundum tabulas. Quod periculum in mera dominij adquisitione sine vsu rerum metui non potest: quarè nec aditio, nec pro herede gestio impeditur. Dicerem tamen, si scriptus, qui adiit, immidente contra tabulas, missione à Prætore in possessionem petat ex edicto Hadriani, aut remedio simili, non minus ei fore denegandam possessionem bonorū quam denegatur bonorum possessio secundum tabulas. Quia ex prædicta immissione non minus metui potest dilapidatio, quam ex bonorum possessione secundum tabulas.

7 Casus tamen est, in quo adiri hereditas interim non potest, immo nec bonorum possessio contra tabulas à præterito peti. Neimpè si emancipatus præteritus est, itemque præteritus sit posthumus sius l. illud 4. §. vlt. cum l. seq. de contra tabul. iuncta l. cum quidam 30. §. quod dicitur 1. de acquirend. hered. Quia cum incertum sit, an abortivum mulier pariat, prodigiumve, an monstrosum: vel vacua vtero sit, iuxta principia text. in l. 3. C. de posthum. hered. instit. incertum etiam sit, quot in lucem edere possit, cui alioquin incertitudini consultetur per textum in l. antiqui 3. ff. si pars heredit. petat. conseqens est, vt ex edicto Prætor nec præterito, nec initio ex præteriti persona bonorum possessione contra tabulas concedere possit, vt perspexit Gofredus in d. §. vlt. num. 3. & 4. Decreto ergò opus fuit, vt institutus, vel præteritus bonorum possessionem acciperet, siue contra tabulas, siue secundum tabulas, causâ hereditatis transmittendæ. Quod decretum in suo præterito necessarium non fuit, quià ipso iure ciui. i testamen. tum nullum est, l. inter cetera 30. de liber. & posth. quarè ab

Excipitur casus præteritio. ms posthumi.

Quo casu, decreto opus est in emancipato & quandoque in suo.

Explicatur I. illud 4. §. vlt. hoc tit.

ab intestato heres existit, cum apud legem omnia certa sint, *l. ventre 84. de adquir. hered.* Nec in suo instituto, si solus fuit, nec habuit coheredem: quia vltimo vitæ instanti, cum certum sit, nondum nato posthumo neminem ex testamento heredem fore, destituitur testamētum, succedit causa legitimæ, & transmittit suus ad heredes paternæ hereditatis portionem. Ceterum iam emancipato necessarium fuit decretum transmissoriū, quia caret iure sui, & transmittendꝝ hereditatis. Vnde si suus coheredem, vel substitutum habeat, ex quorum personis substineri possit paternum testamentum, suo ante nativitatem posthumī decedente, necessarium in eo erit decretum, non minùs, quam in emancipato. Quod mihi probat probè intellectus Africani text, *in l. si filius 16. de liber. & posthum.* De qua tamen longiorem disputationem non traho, ydendi Cujac. & Costa *in schol. ad ipsam l. idem Cujac. lib. 3. obseruat. cap. 21.* multi apud nostrum Pichard, *de adquir. heredit.* *cap. 10. ex numero 7.*

8 Igitur cum bonorum possessio contrà tabulas locum præcludat, siue antistet, bonorum possessioni secundum tabulas; multò fortius debet antistare bonorum possessionibus causæ intestati, veluti vnde liberi, *l. 1. §. ita autem 2. cum similib. sitabule testam. nullæ extab.* Vnde si palam sit, non valere testamentum, consequens est, ut bonorum possessio contra tabulas locum habere non possit, *l. 3. sitabule testam. nullæ extab.* Ex qua regula facile exponitur text. alioquin difficilis, *in l. si impubes 7. §. interdum 6. de Carbon. editio.* Non competit illa Carboniana filio impuberi ritè exheredato, *l. 1. §. Pomponius 8. de Carbon. edit.* quia nec nostra competit, ad cuius instar est, de qua re infrā dicam. Huius regulæ proponit exceptionem Julianus, *in d. §. interdum*, docetque interdum exheredatum filium ex Carboniano decreto posse petere bonorum possessionem. Veluti, si neget, esse tabulas, in quibus exheredatus invenitur: vel quia unus ex testibus deficit, *l. si unus 12. c. de testam.* ment.

*Antistet etiam  
bonorum pos-  
sessionib.*

*Replicatur l.  
si impubes 7.  
§. Interdum 6  
de Carb. editio.*

ment. Vel quia ipse filius exheredatus non ritè exheredatus sit, l. non putavit 8. §. non quævis 2. de bonor. poss. contratabulas. Vel quia alter filius suus præteritus est, altèr in eodem nullo testamento exheredatus, qui ab intestato heres est, l. vlt. de lib. & posth. l. 1. §. vlt. si tab. testam. nullæ ext. Sed pone in his casibus, si nihil ibi que filium exheredatum, præsupponentem exheredationem invilem esse, & ob id tanquam præteritum, petiisse bonorum possessionem contratabulas: & quia impubes erat, & negabatur filius testatoris, descendisse ad decretum Carbonianum, ut interim bona paterna possideret, id est donec ad pubertatem perveniret. Quæritur, vtrum ei concedenda sit? Negat Julianus, quia cū petiisset contratabulas, prætulit caussam testamentariam: audeo dicere, approbavit testamentum, licet voluisset iudicium testatoris rescindere: confessus fuit eo facto petendi bonorum possessionem contra tabulas, tales esse tabulas, ex quibus tempore mortis defuncti adiri hereditas potuit, vel secundum eas bonorum possessio peti, d. l. quod vulgo 19. Ergò secum ipso pugnat, & sibi ipsi contradicit: quia potest peti contra tabulas bonorum possessio, innuit tabulas saltem quoad exteriorem formam, & iure prætorio valere: ergò si valent, substinebitur exheredatio, quæ à contra tabulas bonorum possessione remouet filium. Secus verò dicendum esse, ait Julianus, si ab intestato agens, tāquam si tabulae testamenti nullæ extarent, petiisset bonorum possessionem unde liberi: tunc enim, si negetur filius, potest descendere ad decretum Carbonianum: quod non minus aptatum est ad bonorum possessionem unde liberi, quam ad bonorum possessionem contratabulas, l. Carbonianum 3. in princip. de Carbon. editio, l. 2. §. si quis ex liberis 11. §. sed si quis 12. ad S. C. Tertullian. quia petens bonorum possessionem ab intestato, non supponit tabulas esse, sed contrarium: nec est, quod ipsi obici possit circa approbatam exheredationem. Quiā licet tabulae sint, nihilominus potest peti bonorum possesso

fessio ex caussa intestati, si appareat nullas esse. Vel ex caussa præteritionis sui d. l. 1. §. vlt. vel ex defectu testium, l. 3. eod. tit. Quem huius textus verum esse sensum existimo; illum vero magis indicarunt, quam expreßerunt repetentes ad pred. §.

9 Illud etiam notandum est, quod Vlpianus scripsit lib. singulari regul. in fragm. tit. 28. in princip. Bonorum possessionem dari aut contra tabulas, aut adversus tabulas intestati. Cujacius, cui hic libellus debet, quam potuit habere; integratam; suppleuit aut. Ut sit sensus. Bonorum possessiones esse ex testamento, nempe contra, aut adversus tabulas: vel ab intestato: ad quas classes omnes bonorum possessiones reducuntur, ut constat ex toto lib. 38. Digg. Et ex tit. inst. de bonor. posseß. Illud vero non admodum in Latinorum libris versato dubium posset facere, quod Vlpianus testamentarias bonorum possessiones appellavit contra tabulas, & aduersus tabulas: sed animaduertere debent tyrones, quibus haec nota deserviet, aduersus significare etiam secundum. Sic idem Vlpianus eod. lib. tit. 20. §. Latinus 14. dixit Deditiū non posse testari; quia nullius ciuitatis ciuis est, aduersus cuius leges possit testari: id est secundum, ut ibi exposuerunt Cujacius, & Gothofredus, alij apud Osuald. ad Donell. lib. 5. cap. 21. litt. D. & ex Gueuara, in topica Ciceron §. 11. cultissimus, & iudiciosissimus noster D. Nicolaus Anton. de exitio, & iurib. exul. lib. 2. cap.

6. num. 10. ex quo & Nos pridem notaimus,  
in nostro lib. 3. analecto de interdict. &

relegat. excursu 4. num. 41.

Erit ergo aduersus tabulas bonorum possesso secundum tabulas.



## CAPVT II.

*SEORSIM EXPONITVR  
idem Tryphoninus lib. XIX. Disputationis  
secundum indicem Iacobi Labitti,  
in l. filium 20. de bonorum  
possess. contrà tab.*

**Q**UASI in parenthesi ante quam progressum diamur, libet paulò accuratiùs hanc nobilem Tryphonini nostri disputationem explicare: non sanè, quia ab iinterpretibus nostris malè habeat: sed quia difficultas adhuc est, & vix est vilus, qui integrè eana exposuerit prætèr Gofredum: cuius commentaria, docta alioquin, difficultias sunt, & malè pervia. Pater filium, quem in potestate habebat, exheredavit; habebat etiā alterum filium emancipatum, quem præteriit. In hac causa positione, quæsum fuit, quatenus, quando, in quibus casibus filius emancipatus habiturus sit bonorum possessionem contrà tabulas? Dixit, si hereditas adita sit ab herede scripto, testamentum mero iure ciuili valuisse, quia filius in potestate constitutus exheredatus fuit: de emancipato verò ius ciuile non curauit. Ergo & confirmata fuit exheredatio respectu sui: & emancipatus opus habet bonorum possessione contrà tabulas, si vult paternum rescindere iudicium. Hæc principia clara sunt, ex §. emancipati inst. de exhered. liber.

*Suo exheredato, & emancipato præterito.*

*Testamentum valet.*

*Ei præteritus contra tabulas.*

**2** Sequitur secunda quæstio in versic. quod si Quid dicendum sit, si heredes scripti repudiaverint hereditatem, destituerintque testamentum? An præteritus emancipatus bonorum possessionem contrà tabulas petere posset? Videbatur negandum; quia si nemo subit

subit hereditatem, omne ius testamenti dissoluitur, l. si nemo de testam. tutel. & l. si nemo deregul. iur. Ergo contrata bulas dissolutas, & quaslibet bonorum possessio dari non potest. Contrariū tamē respondit Tryphoninus: nempe filio emancipato cōpetere hanc bonorum possessio nem: quia sufficit, ut secundum tabulas bonorum possessio peti potuisset, vel adiri hereditas tempore mortis testatoris, l. quod vulgo 19. antecedenti. Cum ergo semel nata fuisset ab initio bonorum possessio, durat ex postfacto, d. l. non putavit s. g. à primo. Quæ quidem bonorum possessio magis contra lignū est, quam contrā testamentum; diciturque durare, quia cōpetit; siue quia nata fuit. Non tamē est inanis; quia supponit, ino per suppositionē decidit Consultus, repudiata fuisse hereditatem metu bonorum possessionis contrā tabulas ab emancipato petendæ, illis verbis: quod facile sunt facturi, nihil latiri ex hereditate propter eum, qui contrā tabul. accipit bonorum possessionem. Notandum ex his verbis est, scriptos, qui repudiant hereditatem, magis repudiare propter metum bonorum possessionis contrā tabulas, quam propter metum quæ relæ. Quiā bonorum possessio edictalis est, id est statim, sine causæ cognitione filii præteritis petentibus indulgetur: quærela vero indiget cognitione centūvitorum, & sine multi causa cognitione non obtinet: aliquando unus idemque filius, & vincit, & superatur, l. cum filius 76. delegat. 2. In quærela est alea iudicij, in bonorum possessione nullum est periculum. Igitur cum hereditas repudiata sit metu filii emancipati præteriti, perinde est respectu ipsius, ac si adita fuisset hereditas, & contrā testamentum aditione confirmatum petita fuisset bonorum possessio, l. 3. g. vlt. cum l. seq. delegat. præst. Ergo ex stricta disputatione solus filius emancipatus poterit petere bonorum possessionem contrā tabulas. Cum vero respectu filii sui ex hereditati repudiatio non possit pro aditione haberi: hic ab intestato suus heres patri existit. Concurrit itaque utraque causa testati in filio præterito emancipato

*Et si scriptus  
repudiet.*

*Nec est inanis.*

*Quia repudiatur hereditas  
metu bonorum  
possessionis.*

*Et si us ab in-  
testato dece-  
dit.*

*Nota concur-  
sum testati, &  
intestati.*

pato contràtabulante: intestati in filio suo exheredato post destitutum testamentum. Quià non est bonorum possessio contrà testamentum, quæ substinet totum testamentum; sed contra lignum, quæ substinet caussam testamentariam respectu filij emancipati præteriti.

3 Aduersic. Sed cum exheredatio. Consequentia est precedentis doctrinæ: exheredatio corruit repudiata hereditate; ne testamentum per omnia irritum ad solam notam exheredationis proficiat: quare nec filium à paterna hereditate repellit, neque à successione paternorum libertorum, l. si patronus 12. §. ex testamento s. de bonor. libert. Ergò ipse ab intestato patri succedit, tanquam si tabulae testamenti nullæ extarent. Prætor verò, petità bonorum possessione contra tabulas, tueretur emancipatum in sua virili portione: alius casus similis extat in l. vlt. de liber. & posth. & in l. i. §. vlt. si tabule rem. nullæ extab. quarum sèpè infrà meminerimus.

4 Ad versic. Erit ergo. Continet secundam, & elegantem consequentiam, si adita hereditas est, ab extraneo confirmatur exheredatio, & suus per consequēs removetar à causa intestati: si repudiatur hereditas, destituitur testamentum, & ab intestato patri suus heres existit. Ergò venale eit in hoc casu beneficium heredis scripti, qui alioquin ex bonis testatoris nihil latrus est: nam si adit testamentum, repellere potest filium exheredatum: si repudiat, facit, vt exheredatio evanescat, totumque irritetur testamentum; & ab intestato existat heres, filius alioqui exheredatus. Dixit, venale esse beneficium heredis scripti: vt potuit dicere, esse gratificatorium: quia potest heres scriptus, si vult alterutri ex filijs gratificare: vel pecuniam accipere pro officio adeundi, vel repudiandi: quià hoc nulla lege prohibitum est, vt de officio fideiubendi, dixi lib. 3. analotto de interdict. & relegatis excursu 6. Alium casum similem adduxi lib. 1. Opusculor. cap. 4. ex l. 2. §. si sit 18. ad. S. C. Tertyll. Quod etiam in sequentibus aliquando repetendum erit. Verum licet confirmata exhe-

Ergò repudia-  
ta hereditate,  
etiam metu cō-  
tratab. non va-  
let exhereda-  
tio.

Adit overd te-  
stameato, con-  
firmatur exhe-  
redatio. Igitur  
erit venale of-  
ficium heredis  
scripti.

Suoque nullum  
remedium sup-  
petit præter  
quærelē con-  
tra emancipa-  
tum mouendā.

Que competit  
contra quem-  
cunque possesso-  
rem titulouni-  
uersali.

exheredatione per heredis scripti aditionem, à causa testamenti, & à legitima filius suus exheredatus removetur, & præteritus emancipatus omnia bona auffert per bonorum possessionem contra tabulas; tamen suo contra fratrem suppetit, superestq; extremum subfidium, quod exheredatis indulgetur, nempè quærela inofficiosi testamenti, quam contra fratrem contratabulantem perfert, & exequitur, postquam bonorum possessionem contra tabulas petivit, & obtinuit, l. si post mortem 10. §. exheredati s. de contra tabulas, l. si patronus 12. §. ex testamento s. de bonis libertor. licet enim regulariter quærela inofficiosi testamenti competit contra heredem scriptum adeuntem, & bona hereditaria retinentem l. Papiniarus 8. §. sed si conditioni 10. de inofficiis. testam. tamen si bona iure universali in alium translata sint, etiam aduersus bona possidentem accommodatur: vt de contra tabulante probatur ex hoc textu, & notant Accurs. Gofred. & Cujac. Pinell. lib. 2. selectar. cap. 3. num. 16. Sic similiter contra fideicommissarium competit, postquam ipsi hereditas restituta est, in l. j. C. de inofficiis. testam. quam melius exposuit Marcus Ly. clama lib. 1. membranar. ecloga s. quam Govæanus lib. 1. variar. cap. 5. & Faber lib. 17. coniectur. cap. 1. Et contra fiscum, si ad ipsum pervenerint patris exheredantis bona quolibet ex capite, l. si heredum 10. C. eod. tit. de qua multa, & multos adducunt Nostrates Pichard, in lectur. Salmanticensib. ad titul. de adquir. hered. cap. 5. ex num. 7. Valentia ad eundem tit. tract. 1. cap. 3. num. 18. & 19. Amaia in leg. 1. Cod. de bonis vacantib. lib. 10. ex num. 4. Hæc ita decidit Triphonus de suo exheredato, & extraneo herede scripto: aliud verò dicendum esset, si institutus fuisset quoque filius suus, id est, in potestate testatoris constitutus: tunc etenim quanvis scriptus abstineret bonis paternis, exheredatio effectum sortiretur, quoniam nudà existentia sui heredis confirmatur, vt recte censuit Gofredus in præsenti num. 5. argument. ex leg. testamento 23. iuncta leg. sciendum 32. de manumiss. testam.

*cam. Leg. cum quasi 30. §. sed et si suus heres 10. de fideicomiss.  
liberat.*

5 Ad §. Videamus. Retento eodem theniate subnectit Triphonyanus alias quæstiones : quarum prior est de collatione. Ad quas enodandas duo principia præmittenda sunt ad cognitionem totius tituli de collatione bonorum apprimè necessaria. Primum est, non esse locum collationi, si alter ex filijs per bonorum possessionem contra tabulas succedit, quæ est successio testamentaria, §. sunt autem 3. inst. de bonor. posses. alter vero succedit unde liberi, quæ est bonorum possesio ab intestato, l. i. si tabule testameti in nullo existabunt: sic similiiter nec locum esse collationi, si alter succedat secundum voluntatem defuncti, alter contra tabulas: quemadmodum si alter succedat unde liberi, & alter contratabulas. Tunc ergo erit locus edicto de collationibus, quando uterque filius pariter per unde liberi succedit, vel per bonorum possessionem contra tabulas ; id est, succedit ex eodem ordine, ut melius accepit hanc regulam noster Amaia lib. 1. obseru. cap. 17. ex num. 22. quam alij Antiquiores. Secundum principium est, totam materiam de collationibus per æquitatem regulari, si subest æquitas, locus est collationi, si deficit æquitas, cessat edictum. Itaque æquitas est regula Lesbia, quæ singulis casibus adaptatur, leg. 1. de collatione; recompensat iniuriam illatam ab eo, qui succedere cupit: si non facit iniuriam, non confert, si facit iniuriam confert. Ita recte idem Amaiadict. cap. 17. num. 27. & 28. Addendum est, & merito suo adeundus studiosus, & sectator noster supra ætatem doctus in politissimis exercitatioibus suis Licentiarus D. Didacus de la Serna, & Cantoral exercitat. 4. à principiis.

6 His positis manifestanda est quæstio nostri §. Proponit Consult. destituto testamento per repudiationem scripti filium suum ab intestato heredem patri extitisse iure civili, vel ex iure Prætorio per bonorum possessionem unde liberi successisse: emancipatum vero pe-

*In difformibus  
modis succedet  
di non est locus  
collationi.*

*Collatio per æ-  
quitatem regula-  
latur.*

petiisse bonorum possessionem contra tabulas. In hac  
quæst. quærit de collatione secundum ius, quod tempo-  
re Triphonyni vigebat, & ante novam constitutionem,  
quæ exstat in l. ut liberis 17. Cod. eod. tit. & decidit, non  
esse locum collationi: quia emancipatus filius prætulit  
bonorum possessionem contra tabulas, quæ est testamē-  
taria; filius vero suus non potuit succedere, nisi ab inte-  
stato: ideo cessat collatio; quia ex diverso ordine uter-  
que succedit. Igitur, si filius emancipatus per unde liberi  
succederet, locus esset edicto de collatione inter ipsum,  
& suum l. filius emancipatus 9. de collatione, Paulus lib. 3.  
sentent. tit. 9. Notemus cum Gofredo num 8. versic. de-  
iudicem quæro, acumen Triphonyni, qui non dixit inter  
utrumque fratrem non posse locum esse dicto de col-  
latione; sed tantum dixit, non esse de facto: videlicet  
quia emancipatus sibi consuluit, maluitque succedere  
ex testamento per contratabulas, ut sic evitaret colla-  
tionem. Ex quo in versic. verbor, concludit Consultus,  
factum heredis scripti repudiantis, destituentisq; testa-  
mentū tantū profuisse filio suo exheredato, ut ab intesta-  
to auferret fratri emancipato præterito portionem bo-  
norum paternorum: noua tanq;en, vt cogeret fratrem  
emancipatum ad collationem, nec ipsi auferret partem  
proprii patrimonij post emancipationem quæsiti. Ad  
quam decisioq;em fundandam etiam concurrit æquita-  
tis ratio: quia emancipatus non intulit iniuriam suo,  
sed potius suus intulit iniuriam emancipato. Probo as-  
sumptum. Testamentum destitutum fuit ab herede  
scripto repudiante propter metum bonorum possesso-  
nis contratabulas, quæ de facili filio præterito conce-  
ditur; non propter metum quæreke, quæ maiori indi-  
get causæ cognitione, ut prius dixi. Ergo ius filij præ-  
teriti, quod timuit institutus, in causa fuit, ut destruere-  
tur testamentum, & succederet filius suus alioquin ex-  
heredatus: ergo non habet, de quo queri possit filius  
suis, sed potius de quo gratios referat fratri emancipa-  
to. Igitur iniurius erit, si urgeat collationem à fratre  
eman-

*: Qui non infert  
iniuriam fra-  
tri, non con-  
fert.*

*Exempla.*

emancipato. Hic est sensus illorum verborum Triphoyni. Multò magis huic ( id est suo ) conferri non oportet: quia à patre exheredatus, à Prætore ad bonorum possessionē contra tabulas non vocatus ( ad quam non vocantur exhereditati, leg. non putavit 8. de contra tabulas ) occasione omis- se hereditatis à scripto herede nihil habituro propter delatam emancipato à Prætore contra tabulas bonorum possessionem ( id est propter metum bonorum possessionis, & non propter metum quærelæ ) nomen sui heredis adeptus est. Quam decisionem faciliori exemplo confirmat in vers. & hoc fit. Tale est: filius in potestate constitutus heres à pa- tre institutus fuit ex minori parte, veluti ex triente, vel quadrante; filius emancipatus fuit præteritus, & ex re- liquo alsi scriptus heres extraneus. Filius suus ex pro- pria persona tantum habuit ius immiscendi, siue, ut ita dicam, adeundi suam portionem: ex persona verò fra- tris præteriti, & commisso per illum edicto, habuit ius contratabulandi, l. non putavit 8. §. vlt. eod. tit. Peti- uit ergò filius suus bonorum possessionē contrà tabulas ex persona fratris emancipati, & sic singuli fratres se- milles tulerunt, agentes ambo ex eodem edicto. In hoc casu ex verbis edicti de collatione facienda collatio erat, cum uterque per contrā tabulas succedat, l. i. in principio de collatione. Sed deficit æquitas. Iniquum enim esset, ut filius emancipatus, ex cuius beneficio suus se- missem integrum consequatus fuit, prægavaretur one- re collationis; & iniurius fuisse filius suus erga fratrem emancipatum, si intenderet propria bona auferre ei, à quo beneficium accepit. Quæ species exstat etiani de- cisa, in l. i. §. si ex dodrante 3. cum seqq. eod. tit. de colla- tione.

7 Et licet exorbitemus, eadem sententia Tri- phynni confirmari potest ex alia Scœuolæ, quæ exstat in leg. si filius 10. eod. tit. de collatione. Proponitur itidem filius in potestate constitutus heres scriptus à patre; & filius emancipatus ab eodem præteritus: non proponi- tur scriptus suus ex minori parte, nec ylla sit mentio

coheredis dati. Igitur diuinant, imò delirant, qui vt  
 hunc textum contrarium faciant nostro, supponunt  
 scriptum esse suum ex minori parte, & extraneum in-  
 stitutū esse ex reliquo assis: filius suus ex persona fra-  
 tris potuit bonoru*m* possessionem contrà tabulas pete-  
 re, quam si petiisset, vterque filius ex eodem edicto de  
 contrà tabulas succederet, & locus elset collationi ex  
 verbis edicti, d.l. 1. Sed maluit gratus esse erga memo-  
 riā patris, & secundum eius voluntatem succedere;  
 quare vel immiscuit se paternis bonis, vel bonoru*m* pos-  
 sessionem secundum tabuas petiuit. Quo facto deiu-  
 re collationis quæsitus fuit: vtrum emancipatus tene-  
 retur conferre bona fratri in potestate constituto? Ex  
 verbis edicti non renetur; quià alter secundum, alter  
 contrà tabulas patris successit. Sed contrarium sugge-  
 rit æquitas, quæ, vt dixi, regula est Lesbia in hoc edicto  
 de collationibus, quam sempèr in manibus habere de-  
 bemus: quià filius emancipatus iniuriam intulit fratri  
 in potestate constituto; siquidem ex beneficio Prætoris  
 de contrà tabulas abstulit dimidium hereditatis ei, qui  
 tam ex iure ciuili, quam ex voluntate patris totum af-  
 sem erat habiturus, vt recte disputat Amaia, *dicitur num.*  
 27. & 28. Ergò licet deficiant verba edicti, filius eman-  
 cipatus, qui per contrà tabulas successit, debet conferre  
 ei, qui successit secundum voluntatem: quià potentior  
 est æquitas, quam verba edicti, vt decidit Scævola con-  
 sequenter decisioni Vlpiani *in d.l. 1. §. pater 4. de col-*  
*latione.* Quidquid ratione æquitatis non probè intelle-  
 ctu*a*, in contrarium disputeret Faber, ineptias Tribonianu*m*  
 de more arguens, cuius argutijs Amaia satisfecit, & nos  
 latenter fecimus in superioribus. Itaque suus ex mi-  
 nori parte scriptus, qui beneficio emancipati maiorem  
 portionem hereditatis, hoc est, semissem, consequitus  
 fuit petita contrà tabulas, non potest vrgere collationē  
 pròpter æquitatem, licet pro se habeat verba edicti; nè  
 sit iniurius fratri emancipato, à quo beneficium con-  
 sequitus fuit, & hæc est species nostri Triphonyni. Ex  
 diuerlo

diuerso filius scriptus ex asse, vel ex maiori parte semis-  
fe, & si secundum voluntatem succedat, & per conse-  
quens contrā se habeat verba edicti, potest vrgere fra-  
trem emancipatum ad collationem, quia iniuriam ab  
eo accipit. Quæ est Scæuola sententia, quamvis in de-  
cisione diuersa, subnixa tamen eadē ratione æqui-  
tatis.

8 Ad §. Legata 2. Consequentē superioribus  
quærit de legatis præstandis Triphonymus, docetque fi-  
lium emancipatum præteritum tenēri legata præstare  
exceptis personis, quamvis à scripto extraneo re-  
pudiata hereditas sit; quia repudiatur propièr metum  
bonorum possessionis, non proptèr metum quærelæ.  
Et in hoc casu præstantur legata, quemadmodum si he-  
reditas adita fuisset à scripto, petità bonorum posse-  
sione contrā tabulas, l. 3. §. vlt. cum l. seq. de legat. præstand.  
Filius verò suus, qui repudiata hereditate ab intestato  
heres est, nulla legata præstat: quia iure suo, & citrā ul-  
lum beneficium Prætoris portionem sponserit, vt vi-  
dit Costa in §. & quid si tantum 3. p. num. 67. & 231. post  
eumque Pinellus d. lib. 2. cap. 3. num. 9. Valentia, I.  
tract. de liber. & posthum. cap. 4. num. 22. Nec immoror  
in refutandis distortis intellectibus Gofredi numer. 9.  
quod maioris opere esset, quam utilitatis. Præstat ve-  
ro emancipatus legata exceptis personis, sed diminuta  
pro illa parte, quam abstulit suus exheredatus ab intesta-  
to succedens; quia cum ipsi auferantur bona, conse-  
quens est, vt pro illa parte onera diminuātur, Costa ubi  
proximè num. 132. Anton. Faber lib. 9. conjectur. cap.  
14. propè finem. Ergo disputatio Triphonymi in hoc §.  
repetit priorem, potioremque speciem de filio suo ex-  
heredato, & scripto extraneo repudiante metu bono-  
rum possessionis contrā tabulas: non verò prosequitur  
speciem, quam inseruit in d. verl. & hoc fit, de scripto  
suo ex minori parte; quia hanc tantum ex occasione in-  
terposuit, neque de illa disputare propositum fuit Tri-  
phonino: quippè, si scriptus est suus, legata præstaret  
non

*Emancipatus  
præstat legata  
exceptis per-  
sonis etiam re-  
pudiata hered-  
itate dispe-  
ditur.*

*Diminuta pro  
parte, quam  
abstulit seu.*

non tantum exceptis, sed omnibus; ut infrā dicam ad legem is, qui in potestate l. 15. de legat. præstand.

Melior conditio est in hoc casu filij sui ex heredati, quā instituti.

9 Adversic. Erit ergo melior. Concludit Triphonynus, si scriptus fuisset filius suus, omnibus legatarijs legata præstaret: quia fuit exheredatus, & repudiat a fuit hereditas à scripto extraneo; nulli præstat legata: retinet enim rem ab intestato. Ergo melior est conditio filij sui exheredati; quam fuisse, si ipse filius institutus inveniretur. Videtur consequentia præceps, & absurdia: sed est optima; & ex iuris ratione nihil aliud dici potest. Vide expositionem, d. l. 15. quō nunc remitto. Itaque comparatio, quæ continetur in verbis, quā foret, si exheredatus non esset; non est referenda ad præteritionem filij, sed ad initiationem: non exheredatus dicitur, qui institutus est: dicitur etiam, qui præteritus est: melior conditio filij exheredati, quam filij instituti in hac specie. Sed æqua, & par est conditio filij exheredati, destituto testamento, quam filij sui præteriti: quia neutrō in casu debet legata nec extraneis, nec exceptis, d. l. 15. Igitur comparatio fit ad institutum, non ad præteritum, quod etiam docuerunt Gofredus in fine commentarij, & Cujacius.

## CAPVT III.

QVI BVS BONORVM POS-  
sessio contrà tabulas competit?

I LIBERIS competere, si in testamento patris præteriti sint, docemur in l. 1. de contrà tabulas apud Vlpian. infragm. libri regul. tit. 29. à princ. & apud Iustinian. in §. emancipati inst. de exheredat. liber. in his quippè locis frequentè ab Interpretibus annotatur. Hæc tamèn regula sub laconismo

conismo comprehensa, latam expostulat interpretationem. Primo enim investigandum est, vsque in quem gradum liberorum verbum extendatur. Deinde quam significationem habeat ciuilem. Tandem qui censeantur præteriti. In primis liberorum verbum aptum est ex se comprehendere tam in alijs, quam in hoc tractatu, omnes descendentes vsque ad trinepotes, & in infinitum, l. liberorum 220. de verbis significat. Vnde tam ipsi filij emancipati admittuntur, quam qui ex his nati sunt, l. non tantum 3. in princip. de contrà tabul. iuncta l. 1. §. liberos delegat. præst. Valet hic illud Poetæ, & nati natorū, & qui nascentur ex illis. Vocantur vero ad hanc bonorum possessionem liberi, eo iure, eoque ordine, quo vocantur ad successionem de iure ciuili, l. 1. §. 1. de contrà tab. Itaque filius superstes præcludit gradum nepoti: quod si filius superstes sit, & ex prædefuncto filio sint duo, pluresve nepotes: hi subingrediuntur patris locum, & cum patruo in stirpes vocantur, l. si in adoptionem 1 1. §. 1. eod. tit. quod iure ciuili receptum fuit, §. cum filius, filiare inst. de heredi. que ab intestato deferunt. cum similib. Coniunctio tamēn nepotum cum patruo in hac bonorum possessione concedenda, si patrem superstitem non habent, ex vetere edicto fuit; quod si patrem emancipatum habebant, & ipsi in potestate erant retenti, coniunctio talis non fuit inducta ex vetere edicto, sed ex noua clausula Iuliani, ut dicitur in l. qui duos 3. de coniungendis. De qua commodius dicam suo loco, pro explicatione Tryphoniam in l. vlt. illo eod. tit. quam subiçiam in ad versar. de legat. præstand.

2 Civilis significatio, quam ius Prætorium admissit, eos reputat liberos, qui si à patre emancipati non essent, sui forent. Ideò hoc remedium appellatur rescisio emancipationis, leg. 3. §. si emancipatus 5. hoc tit. de contrà tab. quod optimè exponit Theophylus in dict. §. emancipati, inst. de exhered. liber. Itaque regula est, qui ex numero suorum heredum essent, si emancipati non fuissent; emancipati præteriti gaudent bonorum possessione

Qui fint liberi, & quo ordine succendant?

Qui ex numero librorum fuerint, si non fuissent emancipati ad hanc bonorum possessionem vocantur.

*Tam adoptivi,  
quam natura-  
les illi durante  
adoptione.*

sione contra tabulas. In primis admittuntur filij natu-  
rales ex iustis nuptijs procreati, de quo nemo vñquam  
dubitavit. Item filij adoptivi, quandiu durat adoptio,  
leg. 1. de contratab. Vlpian. dict. tit. 18. §. bonorum posse-  
sio. 3. Soluta tamen adoptione per emancipationem, vel  
alio modo, quo de adoptiva familia exent, non ha-  
bent ius contratabulandi; extranei quippe sunt tam in  
conceptu iuris civilis, quam prætorij, leg. 1. §. & sui  
iuris 6. eod. tit. leg. 1. §. liberos 6. si tabule testam. nullæ ex-  
tabunt. Vnde si filium habeam, & ex eo nepotē vtrum-  
que naturalem; sed nepotem à patre suo emancipato  
emancipatum in locum filij adoptavero; quandiu durat  
adoptio, quià locum filij adoptivi obtinet, non mi-  
nus, quam pater bonorum possessionem contra tabulas  
habet; sed per emancipationem adoptione dissoluta,  
revertitur in gradum suum, & a patre præceditur, leg.  
3. §. si filium 3 de contra tabul. Invertamus parumpè spe-  
ciem. Fac, patrem habuisse filium, & ex eo nepotem,  
vtrumque in potestate: filium emancipasse: iam nepos  
coniungitur cum patre, quià in familia retentus est.  
Pone filium emancipatum adoptasse in locum nepotis  
tanquam ex mortuo, & incerto filio: iam vterque ins-  
titar fratribus est, nec novà clausula ad coniunctione in  
opus est. Finge iterum emancipasse: revertitur tunc  
ad pristinum statum, & cum eo nepos coniungitur. Po-  
ne denique filium hunc emancipatum adoptatum fui-  
sse in locum nepotis, tanquam ex alio filio superstite, &  
certo, in patria potestate retento: tunc à filio, qui eum  
toto gradu præcedit, excluditur; ergò cum ad bono-  
rum possessionem non vocetur, non potest cum ipso  
iungi filius eius, idemque nepos in avi potestate reten-  
tus: sed cum patruo suo admittetur in stirpes ex con-

*Explicatur 1.  
1. §. qui habe-  
bat 7. eod. tit.*

iunctione veteris edicti, leg. 1. §. qui habebat 7. hoc eod.  
tit. de contra tab. Quid tamen dicendum erit, si denuò  
hic filius emancipetur? Reponitur in pristina causā, &  
nepos retentus in potestate coniungitur cum eo ex no-  
ua clausula. Considera ergò omnes casus, nullum in-  
venies,

venies, in quo filius hic emancipatus, adoptatus, & iterum emancipatus obstat posse filio ipsius, id est, nepoti retento in avi potestate. Quare haec quæstio nietito derisa fuit ab Vlpiano in leg. I. §. si quis filium, si tabulae testament. nulle extab. quidquid parum conspecte Consulti reprehensionem, aut derisionem taxet Costa in dict. §. & quid si tantum 3. part. num. 12. & 13. Ponamus è converso, patrem emancipatum emancipasse filium suum; quandiu nepos emancipatus est, præceditur à patre emancipato, & cum ipso per consequens nō iungitur, leg. I. §. si pater 6. de coniungendis, l. si quis s. §. I. si tabulae testam. nullæ extab. Hunc nepotem adoptatum fuisse ab avo in locum filij; non coniungitur cum patre emancipato, sed succedit cum ipso tanquam frater, dict. l. I. §. si pater 9. de coniungendis. Finge etiam, filium emancipatum, retento nepote in potestate, postea adoptatum fuisse à patre in locum filij. In hoc casu, non deturbat nepotem primo illo gradu, quem per emancipationē patris incæpit occupare: nec per subseqüentem adoptionem patri supponitur, aut subiicitur, dict. §. si patr 9. ergo nec excluditur nepos, neque ex edicto de coniungendis admittitur cum patre; sed singuli ex propria persona, tanquam fratres, leg. pater 41. de adoption. Dixi lib. I. de interd. & relegat. cap. 6. & me citato meus D. Nicolaus Antonius lib. 3. de exilio cap. 8. num. 3. Itaq; in hac hypothesi minus obstat filius adoptatus nepoti, quam obstat, si duraret emancipatus; nam cum emancipato coniungeretur nepos: & vterq; semissem ferret cum altero filio in potestate retento: sed cum adoptato concurrit nepos tanquam cum fratre, & singuli ferunt viriles, d. §. si pater 9. versic. Iulianus. Costa rem optimè explicans d. 3. part. ex num. 9. Quid verò dicendum erit, si pater iterum emancipatum filium adoptet, consentiente nepote in locum patris nepotis retenti; vt olim erat, antè quam filius emanciparetur, quod fieri iure posse docemur in leg. si quis nepotem 10. cum seq. de adoptionib. vt notat Olaus.

Et leg. I. §. si quis filium, si tabulae testam. nullæ extab.

Et l. I. §. si pater 9. de coniung.

*ad Donell. lib. 2. cap. 22. lit. H.* tunc prorsus obstat filius nepoti, qui à filius est, & suus, & utroque iure illum præcedit. Hæc, quæ de adoptivis filijs antiquitati plauerant, emendauit Iustinianus in l. cum in adoptivis 10. §. sed ne articulum 1. C. de adoptionib. & in §. non minus 11. inst. de heredit. que ab int. statu defer. Quæ emendatio ex iplis textibus liquido constat.

3 Liberorum etiam appellatione in hoc tractatu posthumi continentur, l. 1. §. hæc autem 2. de contratabul. idèo quandiu speratur, partem posthumus facit superstitionibus fratribus, quibus eadem bonorū possessio competit, d. l. 1. §. idem 5. Quare, cum posthumo tunc incipiat competere, cum natus est, l. 2. C. hoc eod. titul. consequens est, ut sperato posthumo, non inspiciatur, quod tabulæ existant mortis tempore, sed nativitatis, ut in d. leg. 1. cum iudicio Gofredus. Interim tamen suam possessionem venter habet, de qua in leg. 1. de ventre in possess. mittend. Hoc edictum generale est, competit quippe ex omnibus causis, ex quibus iam natus bonorum possessionem accipere posset. Veluti si posthonus institutus sit, siue suus, siue extraneus, petit venter ventris nomine in possessionem bonorum mittend. secundum testatoris tabul. dict. leg. 1. §. *filius 12.* qui à & natus bonorum possessionem secundum easdem accipere potest, §. 1. inst. de honor. possess. Ab intestato, si ex liberis est, petit bonorum possessionem natus unde liberi, & ventris nomine ad instar eiusdem petitur. Idem ex edicto unde cognati, ex edicto unde legitimi, ex ea edicti parte, qua ex legibus, constitutionibus, vel Senatus consultis bonorū possessionem Prætor pollicetur, l. ubique 7. eod. tit. Imò quamvis hæc possessio decretalis sit, ut infra dicam, & Carboniana bonorum posselsid etiam ex decreto concedatur, interponitur decretum de ventre in possessionem mittendo, si venter negetur filius ad instar Carboniani editi d. leg. 1. §. si ea 14. cum seq. iuncta leg. sed si is §. §. an autem 3. verific. nec mirum de Carboniano edito. In summa, ex omni causa com-

Continentar  
etiam posthu-  
mi.

Cum natis sunt

Interim ven-  
termittitur in  
possessionem.

Ex omni cau-  
ja.

competit, leg. posthumus 6. de inofficiose testam. l. 1. §. sed et si matris 5. ad sen. cons. Tertyll. l. vlt. de ventre in posses. mittend. ubi præ cæteris Cujac. lib. 7. qq. Pauli. Non conceditur de plano, nec ex edicto, sed cum causæ cognitione, an mulier utero gestet, & in matrimonio esset vel mortis tempore, vel alio idoneo, intra quod posthumus nasci posset sperari, dict. leg. 1. §. 1. d. leg. ibi cumque 7. §. 1. l. cum quidam 30. §. quod dicitur de adquir. hered. Effectus est, vt mater alatur, quæ si vacua utero, posteæ appareat, sumptus non restituit, nisi per calumniam decretum petierit, leg. 1. §. vlt. cum ll. seqq. eod. tit. de ventre in posses. mitt. Ergo si posthumus præteritus sit, qui ex liberis est, quibus nostra bonorum posses. sio competit, venter in possessionem mittitur, instar bonorum possessionis contra tabulas.

4 Posthumo proximus est filius, qui apud hostes captivus existit. Habetur quidem propter spem postliminij, siue quod idem est, propter suspensi iuris constitutionem, vt ait Papinian. in leg. penult. de suis, & legitim. hered. perindè, ac si in civitate fuisset; adeò vt ei exhereditatio noceat, leg. non putavit 8. §. postliminio 9. de contrâ tab. vnde ei eadem bonorum posses. sio competit statim, & reverso conceditur, interimque fratribus partem facit. leg. 1. §. sed et si 3. eod. tit. Vnde idem quo ad cætera affinia edicta dicitur. Species extant, cognitu faciles, ne immoremur, in leg. 1. §. qui ab hostib. 17. de collatione, l. 1. §. si postliminio 8. de coniungend. l. si necem 4. §. si deportatus de bonis libert. leg. 1. §. si filius 4. de suis & legitim. hered. iuncta l. vlt. §. 1. ad Senat. Consult. Tertyll. l. inter agnatos 5. §. vlt. cum l. seq. vnde legitimi, l. 1. §. vlt. vnde cognati, l. 2. dicto titul. de suis, & legitimis hered. quarum memini lib. 6. Opusculor. cap. 6. numer. 2. Sed quamvis partem faciat, nihilominus non obstat nepoti, quem ex prægnante vxore susceptum reliquit in Ciuitate, vt ex iisdem legibus constat: imò si nondum natus est, mittitur vxor captivi ventris nomine in possessionem bonorum socii, l. 1. §. si filius 8. de

Cum cognitio-  
ne, & ex decre-  
to.

Item captiu. de

Revertentes.

Quibus viri-  
les tantum rea-  
servantur.

*ventre in possēt. mittendo; quia potest captivus apud hostes decedere. Et eum obstat, antisterque posterioribus, & paribus in gradu partem faciat, instar posthumis; ut diximus: tamē int̄ vtrumq; subtilem, nec omit- tendam differentiam excogitat Gofredus in d. l. 1. de contrā tabul. Videlicet, captivum vnam tantum partem facere, quamdiū apud hostes est, d. g. sed & si 3. Posthumum verò tres partes facere: quia ex ventre tres filii possunt sperari, l. antiqui 3. si pars heredit. petatur. Hodie tamē iudex raro, aut nunquā hanc differentiā obseruabit: quia prouidentia Consulti in d. l. 3. respicit vel Aegypti, vel Romæ prouincias à fluviorū, Nili, & Tyberis fœcunditate, quæ vix in Hispania accidit, vt post multos considerat pater Ioannes Baptista Scortia, lib. 1. de incremento Nili cap. 6. quarè satisfacit apud Nos iudex posthumo sperato, si virilem portionem conseruet. Deinde, existenti filio apud hostes non tantū conservatur portio, sed fratres conferunt, & ipse confert reuersus: nec prius accipit bonorum possessionē, quam fiat collatio, d. l. 1. g. qui ab hostib. 17. de collat. Vent̄er verò statim mittitur in possessionem, nec prius collatio fit, quam natus accipiat bonorum possessionem cōtrā tabulas, vel unde liberi, l. vlt. de collat. Quiā non est successoria hæc bonorum possessio, sed præparatoria ad successionem, vt ibi notatur.*

Agendum in præsenti erat, de nepotibus per virilem sexum descendantibus, qui ex liberis sunt, quibus Prætores honorū possessionem contrā tabulas cesserunt. Item de filiabus, quibus Antoninus speciali constitutione denegauit. Sed commodior locus est, sequens titulus, vbi egerimus, quando sit necessaria suis bonorum possessio contrā tabulas, vt exceptis personis præstent legata.

*Qui nunquam  
sunt esse potue-  
runt, bæc ho-  
norū posses-  
sio denegatur.*

Sequitur videre de descendantibus, & filijs; quibus in hoc tractatu non convenit liberorum vox; id est quibus non competit bonorum possessio nostra. In primis non competit filijs respectu testamenti matris, item

*Posthumo tres  
partes.*

*Quæ forte dif-  
ferentia hodiè  
non servatur.*

*Alia circa  
editū de col-  
lationib.*

item nepotibus ex filia, vel per foemineum sexum descenditibus, l. illud 4. §. ad testamenta vbi notatur, de contrà tabulas, facit in simili hypothesi text. in l. de bonis 6. in princip. de Carbon. edicto. Quia nulla foemina habet suos heredes, neque per capitis diminutionem potest desinere illos habere, id est per emancipationem à celebratam, l. nulla foemina 13. de suis, & legit. hered.

7 Item, qui iura cognationis amiserunt per servitutem pœnæ, aut deportationem, & ut generaliter dixerim, per maximam aut medium capitis diminutionem, ad hoc editum nō pertinent. Liberi enim, qui à patre institui non possunt, ut sunt deportati, l. 1. C. de heredibus inst. præteriti à patre bonorum possessionem contrà tabulas non habent, l. non tantum 3. §. liberi 10. de contrà tabul. Amittunt enim quodcumque ius succedendi, siue ex testamento, siue contra testamentum, siue ab intestato, d.l. 1. C. de hered. inst. l. edicto 13. de bonor. posses. l. non facile 4. §. vlt. de gradib. l. 1. §. capitis 8. ad Senat. Consult. Tertyll. Et ex nulla parte à Prætore vocantur, l. is, qui 7. unde cognati §. vlt. inst. delegit. agnat. tutel. §. quod autem inst. de capit. diminut. Ideò filius, qui tempore mortis patris in deportatione est, fratribus in ciuitate manentibus partem non facit, l. 1. §. filium 8. cum seq. de contrà tabul. Ex quo evidenter apparet, portionem fratris deportati ad fratres integri status recurrere; vel ad sequentes in gradu; non verò devolui ad fiscum: quia deportatus pro mortuo habetur; quia deportato non desertur portio, l. si quā pœna 7. de his qui sunt sui vel alieni iur. vt contrà vulgus Antiquorum optimè censuit noster D. Nicolaus Antonius, de exilio lib. 2. cap. 7. à princip. maxime num. 5.

8 Itaque deportatus filius, qui in deportatione existit mortis tempore, habetur pro mortuo, l. sine nem. 4. §. deportatus 2. de bonis libert. Restitutus verò viuo eo, de cuius bonorum possessione queritur, ius bonorum possessionis contrà tabulas recuperat, l. 3. §. si deportatus 7. eod. tit. l. siue patronus 2. de iure patronat. Videamus

Et seruis pœnæ.

Et deportatio.

Nisi à principe restituti sint.

modo de eo filio, qui tempore mortis patris integrum statutus erat, sed post delatum, & ante agnitum bonorum possessionem deportatus fuit? Gofredus in l. 1. §. vlt. num. 8. de contrâ tabul. existimat, posse restitutum per Principem, quo recuperat pristinum statum, l. vlt. C. de sententiâ passis, adire; quia delationis, & agnitionis tempore habilis invenitur: nisi medio illo tempore sequens in gradu adivit, quia beneficium Principis nemini tollit ius quæstitum, nemini iniurium est, l. ex facto 43. de vulgaril. 2. §. merito, ne quid in loco pub. l. nec avus 4. C. de emancip. liber. Emanuel verò à Costa in §. C. quid si tantum 2. part. ex num. 177. usque ad finem, censuit agnoscerre posse bonorum possessionem restitutum specialiter intrâ tempora eam petendi; alioquin post tempus restitutus, serò agnosceret possesionem: & idem admittit temperamentum, nisi interim subsequens adierit: quamvis non cieat Gofredum, quem nunquam eirat, nisi eius continua lectio me decepit: forte Gofredi opera in manus Costæ non pervenerunt. Posterior sententia ut expressior, ita & certior mihi videtur. Sed quod docet, attento nouiori iure Iustiniani, de quo in l. cum in antiquiorib. C. de iure liber. statim transmissum fuisse in fiscum ex persona deportati ius petendæ bonorum possessionis contrâ tabulas, quæ incœpit competere filio: non adeò facile est. Agnosco equidem ius adeundi per mortem eius, cui delata hereditas fuit, transmitti in quoscumque successores, ut inquit textus. Agnosco etiam fiscum esse vniuersalem successorem proscripti, & condemnati, quod exactius fundavi excursu 6. lib. 3. analotto de interdict. relegat. Sed dubito cum Aretino, & Iassone, quos reiicit Costa, amens Iustiniani fuerit consulere fisco, & alijs anomalis successoribus in predicta constitutione contrâ lequenteres in gradu, quibus locum fecerat sublatis caducarijs legibus? Sed de questione hac doctiores disputatione; neque enim omnia possumus omnes.

Modo habili  
tempore resti-  
tuantur.

9 Confirmatur praedicta doctrina à simili ex decisione text. in leg. i. §. filio 4. ad sen. conf. Tertyll. Decessit mater, filius tempore mortis in ciuitate erat, post maternam hereditatem delatam, servus effectus fuit, sive vendidit se ad premium participandum: manumissus deinde fuit; non recuperat locum, quem per capitum diminutionem fecerat lequenti: quia manumissus sit libertinus leg. homo liber 21. de statu homin. notant Antonius Faber in Iurisprud. tit. 5. princip. 2 illat. 1. Donellus lib. 2. cap. 11. & ibi Osuald. litt. E. neque veteres cognationes recuperat, §. vnic. inst. de servili cognat. quia alius homo videtur esse, leg. si servus 27. §. 1. de stimend. legat. Ita, & secundum hanc hypothesim exposuit primam huius text. partem, & recte, Petrus Faber lib. 2. semestr. cap. 12. pagin. mihi 175. & seq. Subiungit Vlpianus exceptionem in postremis verbis; nisi forte atrocitate sententiæ, in metallum datus, vel in ludum venatorium servus factus fuisset: tunc enim restitutus à Principe; quia restitutio eluit, infringit poenæ effigium, & veteri statui reddit restitutum, leg. i. leg. vtr. C. dicit. tit. desentent. pass. adire poterit maternam hereditatem. In hoc casu, supponendum est fuisse restitutum intrà annum; intrà quem extensua sunt verba Senatus consulti, leg. filij mater 6. §. 1. ad Sen. conf. Tertyll. nisi interim adeat, vel bonorum possessionem agnoscat sequens consanguineus, vel cognatus, ut ibidem dicitur. Ergo in filio, cui bonorum possessio contratabulas delata fuit, idem erit dicendum.

10 Superest disquirere de filijs in deportatione suscep-  
tis à filio ipso deportato; an habeant contra ta-  
bulas avi bonorum possessionem? Et quidem non ha-  
bere ex eo probatur, quod non nascuntur in avi potes-  
tate, neque per consequens ex ea per emancipationem  
exierunt: quod requiritur, ut liberi gaudeant bonorum  
possessione contrà tabulas. Imò quod magis est, neque  
in patris naturalis potestate nascuntur, si post deporta-  
tionem nati, conceptique sint: sunt quippe naturales

Exponitur 1.1.  
§. filio 4. ad  
S.C. Tertyll.

tantum, ut potè ex natu rali tantum matrimonio procreati, vt probat dissertus text. in leg. ex facto 17. §. si quis rogatus s. ad S.C. Trebell. ex quo ita docuit noster Amaia lib. 1. obs. cap. 12. ex num. 14. quem sequuti fuimus pridem Ego lib. 1. de interdictis, & relegat. cap. 5. dein noster D. Nicolaus Anton. lib. 2. de exilio cap. 8. num. 6. & 19. & cap. 10. num. 6. quidquid legitimos filios esse censuerit Anton. Faber lib. 17. coniect. cap. 20. & forsam subtilis, & solidissimus noster Costa in §. & quid tantum 2. p. num. 30.

Eadem censura est de filijs extrà matrimonium suscep-  
tis. Et extra ma-  
rimonium sus-  
cepti.  
qui à cù in patria po-  
testate, aut familia non sint avi, aut patris naturalis, l. 2.  
ff. unde cognata i. §. vulgo quæsitos 4. inst. de succession. cognæ-  
tor. cum similib. consequens est, vt ad hanc bonorum pos-  
sessionem contra tabulas admitti non possint, vel tan-  
quam sui, vel tanquam qui sui esse desierunt per eman-  
cipationem. Vnde Pragmatici recte inferunt, filios vulgo quæsitos, etiam si tantum naturales sint, contrà testamentum patris agere non posse. Anton. Gomez in l. 5. Tauri num 21. Tellus Fernandez in leg. 12. Tauri, num. 26. Covarruvias de matrimonio 2. p. cap. 8. §. 4. num. 24. Vazquez Menchaca lib. 2. de succession. creation. §. 20. num. 193. & seq. Burgos de Paz in leg. 3. Tauri numero 296. Ioannes Matienzo in l. 8. tit. 3. lib. 5. compilatio. gloss. §. num. 8. Pichardus in epitome de successionib. ab intestato §. 6. num. 24. Hactenus de liberis, quibus bono-  
rum possessione contrà tabulas competit, vel non compe-  
tit: sequens quæstio futura erat de his, quibus le-  
gata, petitæ bonorum possessione cōtra tabulas,  
conservantur. Sed qui à de illa ex profes-  
so ago in adversarijs ad illum  
titulum, in præsen-  
ti agere super-  
fedeo.

## CAPVT IV.

DE PRÆTERITIS FILIIS:  
Et qui sunt præteriti?

**Q**VI sint filij præteriti optimè exponit Iustinianus noster agens de hac bonorum possessione contrà tabulas, in §. 12. inst. de hereditatib. que ab intestato deferuntur, illis verbis: quam contrà tabulas testamenti parentis liberis præteritis, id est, neque heredibus institutis, neque, ut oportet, exheredatis, Prætor pollicetur. Quibus convenit Vlpian. in l. 1. de contratabulas, ibi: si neque instituti, neque exheredati sint. Itaque præteriti illi dicuntur, qui in tabula, sive in cera institutionis, vel exheredationis scripti nō sunt, quāvis amplissima legata, aut fideicomissa acceperint, ve docent latè Emmanuel de Acosta, in §. Et quid si tantum l. p. ex num. 47. permultos sequentes, & in cap. si pater l. p. verb. instituit. à princip. Pichard. princip. instit. de exhered. liberor. ex num. 15. noster D. Martinus de la Reategui, lib. 7. select. cap. 1. in fin. & cap. 6. & sèpè in illo tractatu, quod etiam Cajac. frequenter docet, & Primarij nostri ad titul. de liberis, & posthum.

2 Ex quo primò infertur, filium neq; heredem institutum, neque, ut oportet, exheredatum bonorum possessionem contra tabulas petere posse, quantumvis heres scriptus rogatus sit restituere ei totam hereditatem: quia præteritus est. Erit ergo in electione filij, vel fideicomissam hereditatem petere, vel agere contratabulas patris, leg. ita tamen 27. §. qui rogatus 12. ad S. C. Trebell. Dixi in ipsius electione esse, vtrum malit remedium intentare; quippè si contra tabulas agat, petitione fideicomissi repellitur, quia improbavit iudicium defuncti: si fideicommissum acceperit, repellatur à bonorum

Præteritus con-  
setur, qui neq;  
institutus est,  
neq; suberedita-  
tus.

Quanii: fidei-  
commissum v-  
niversale acce-  
perit.

Explicatur 1.  
ita tamen 27.  
§. qui rogatus  
12. ad Treb.

norum possessione contra tabulas, quia approbavit, l.  
filius s. g. omnib. 2. & g. non solùm 3. de legat. præstand. de  
quo infrà dícam.

*Vel legatum  
partitionis.*

3 Secundò infertur, bonorum possessionem  
contra tabulas petere posse filium non institutum, neque  
ritè exheredatum, & si legatum partitionis acceperit.  
Legatum partitionis est portionis hereditatis, quod per  
hanc formulā olim relinquebatur: *Mevius heres meus cū  
Titio hereditatem meam partito, di vidito. Vlpianus in frag-  
ment. titul. 24. de legatis, g sicut singul.e 25.* Legatarius  
quippè partitionis non erat iuris directò successor, sed  
per obliquum interpositis stipulationibus inter ipsum,  
heredemque, ut probari solet ex leg. si quis servum 8. g.  
vlt. de legat. 2. & notant Marcus Anton. Murætus lib.  
singulari observation. iuris civilis cap. 13. in 2. tom. critico-  
rum pag. mihi 1252. Covarruvias lib. 2. var. cap. 2. n. 1.

*Eß beres obli-  
quus, vel in-  
stār heredis, si  
sit partitionis  
maioris par-  
tis.*

Molina de primogenijs lib. 1. c. 10. à num. 6. noster Va-  
lentia lib. 3. illustr. tract. 1. delegat. cap. 1. ex num. 14. om-  
nium optimè Anton. Clarus Silvius ad leges Regias. &  
duodecim tabular. cap. 21. à princip. licet enim, si maio-  
rem hereditatis partem expilset, sacris familiæ obstrin-  
geretur, ut docuit ex Quinto Mutio Scævola Pontifice  
Maximo Cicero in topicis, id non ex representatione  
defuncti proveniebat, neque ex heredis nomine; sed  
quia Pontificio, & extraordinario iure legatario parti-  
onis onus sacrorum iniunctum fuit, vt idem Anton.  
Clarus docet: ne maiorem substantiam patrimonij sine  
sacris ferret, sine onere funeris, & expiandæ familiæ,  
de quibus oneribus agitur in leg. ex re 26. g. vlt. de stipu-  
lat. servor. vbi notatur. Per contrarium partarius mi-  
noris partis portionem suam ferebat non obligatam sa-  
cris familiæ, Cicero lib. 2. de legib. propè finem, vt fere-  
bat bona fideicommisiarius sine illo onere, & deciba-  
tur hæc hereditas sine sacriss, de qua nonnulla dixi lib.  
3. Opuscul. ad leg. vlt. in princip. delegat. 3. Ex his apparet,  
filium, cui partitionis legatum relictum fuit, ex eo he-  
redem institutum dici non posse. Igitur si exheredatus

*Et sacriss fa-  
milia obliga-  
tur.*

non

non sit, erit præteritus; & per consequens habebit bonorum possessionem contrà tabulas, si legatum partitionis à se repulerit.

4 Ex dictis censendum est de circumstanciis, cavela, siue consilio Labeonis, Ofiliij, Cascelij, & Trebatij veterum Iurisconsultorum apud Iauonelum, in l. cū ex filio 39. de vulgari, & pupillari substitut. Species est. Avus sublatore de medio filio duos nepotes habebat, alterum in potestate retentum, alterum emancipatum. Volebat utrumque ex æquis partibus heredem facere, & invicem eos pupillariter substituere, ut portio alterius ad alterum recurreret, & tota hereditas pertineret ad illum, qui ad discretionis annos pervenisset. Quod respectu eius, qui in potestate erat, facile peragiri potuit per substitutionem pupillarem; sed hæc substitutione utilis est erga emancipatum, l.z. in princip. cod. tit. Consulti itaque fuerunt veteres Iurisprudentes: qui remedijs, aut cautionis loco hoc consilium testanti præstiterunt. Ut nepotem in potestate constitutum solum heredem faceret: & ab illo dimidiam partem hereditatis legaret nepoti emancipato, cum is in suam tutelam venisset; idest, cum annorum quatuordecim fuisset. Hoc factò quodammodo substitutionem fecit nepoti emancipato, & quodammodo illi substituit nepotem suum, siquidem suus totam hereditatem retinet, si emancipatus ad decimum quartum annum, non pervenit. Consilium etiam præbuerunt, ut emancipatum substitueret pupillariter nepoti suo: quo factò, si ambo pervenisserent ad annos discretionis, æquis partibus dividebant inter se avitam hereditatem: quod si nepos suus impubes decedebat, existentiæ sui confirmatae erant tabulæ pupillares, & emancipatus ex substitutione pupillari totam ferebat hereditatem. Et ita consultum erat voto, seu desiderio testatoris. Hæc est paraphrasis textus. In ea illud primum animadversioæ dignum est; filium hunc emancipatum, licet ipsi portio hereditatis legata esset, remansisse præteritum. Ergo potuit petere bonorum

Explicatur, l.  
cum ex filio  
39. de vulga-  
ri.

possessionem contrà tabulas. Quà petità statim aufe-  
rebat dimidiā suam partē, ante quam ad pubertatem  
pervenisset, l. si duo 16. vbi dicam, de legat. præst. Satis-  
faciunt huic difficultati satis probabilitē, & cum iudi-  
cio Iacobus de Aretio, Albericus, Angelus, Imola, &  
Alexander, quibus accedere videtur Goueanus, eosque  
sequitur Petrus Barbosa, in nonissimis posthumis ad l. 2. de  
vulgari ex num. 63. ex eo, quòd si nepos contratabula-  
ret, perderet spem substitutionis pupillaris, quà indig-  
nus siebat, petità bonorum possessione contrà tabulas,  
l. is, qui 22. eod. tit. Ergò non est credibile, maluisse com-  
pendium substitutionis perdere, & simul repudiare  
spem legati partitionis, vt bonorum possessionem con-  
trà tabulas pet eret. Hic intellectus relinquit filio elec-  
tionem præferendi alterum ex remedij, vt defidei-  
commissario suprà dixi. Plus ausus fuit subtilis Cumia-  
nus, quem de more sequitur Costa in d. §. & quid stan-  
tum 1. parte num. 56. & duob. seqq. filio huic, quantum-  
vis præterito, non competiſſe in prædicta specie bono-  
rum possessionem contrà tabulas, quià illam Prætor  
concedit non ex abrupto, sed temperantè ex bono &  
xquo. Cum ergò præteritio hæc non in officiōsè, sed  
bonamente facta sit, non debuit indulgeri à Prætore.  
Sed vereor, ne hæc subtilitas impingat in d. l. it. ita: nēn  
27. §. qui rogatus 12. ad Trebell. cuius suprà memini, &  
ad propositum meminit etiam Barbosa numer. 64. Ego  
verò verissimam censeo sententiā Croti in rub. de legat.  
1. numer. 12. quamuis ab ea veteres disenserint, nem-  
pè verbū legandi in d. l. 39. non significare legatum  
partitionis, sed dationem partis hereditatis, vt signifi-  
cat relinquare: quæ est propriissima, & vetus significa-  
tio huius verbi, de qua dixi lib. 1. Opusculor. ad legem te-  
stament. Consilium ergò fuit, vt nepotem suum here-  
dem pure solum faceret statim, & ex die incerto, id est  
sub conditione, partem hereditatis relinquere eman-  
cipato; dixit relinquere partem à fratre; quià ipse præ-  
stiturus erat bona, cum totum patrimonium posside-  
ret,

ret. In hac hypothesi, emancipatus institutus sub conditione casuali non potuit pendente conditione bonorum possessionem contrà tabulas petere, l. 3. §. sed si sub conditione 12. l. sub conditione 18. de contrà tabul. debuit ergò expectare eventum conditionis, ad capiendam hereditatis partem. Et sic illæso, vt aiunt, pede procedit veterum I. Consultorum eruma. Non est etiam contemendum iudicium magni Cujacij, qui existimans legatum esse partitionis, de quo in hoc textu Consulti responderunt, præcipit, vt supponatur filius bona mente exheredatus, non notæ causâ, vt in l. 3. §. cum Pollidius de usur. l. multi non notæ 18. deliber. & posthum. vt sic à bonorum possessione removeatur tanquam exheredatus, l. non putavit 8. de contrà tabul. & à quærela tanquam officiosè, non inofficiosè exheredatus. Quærit tandem Goueanus, prout est sagax, cur veteres I. Consulti non meminerint fideicommissi in hac specie? Nihil enim erat tam facile, quam consilium præbere, vt nepos suus fideicommissum præstaret emancipato usque ad dimidiā partem hereditatis, cum is in tutelam suam venisset. Respondit certo iudicio, sub iisdem I. Consultis Trebatio, & Labeone introducta fuisse fideicommissia, ipsis iam senescentibus, de quorum origine historialiter egi, d. excursu 5. lib. 3. de interd. & relegat. Ergò consilium hoc præstitum fuit, antequam fideicomissa vsu recepta essent. Hæc tam ex profess.

so, & tam plenè attingere volui; quia cum semel viderim à quodam viro doctissimo ex- pensum fragmentum hoc, non audii, quam exactam cupiebam expo- sitionem.



## CAPVT V.

*QVIBVS HÆC BONORVM  
possess. non competit.*

**V**LTRA connumeratos in capitulo antecedenti occasione doctrinæ ibi propositæ, sunt alij, qui bonorum possessionem contrà tabulas petere non possunt. Vcluti instituti, exheredati, & qui per adoptionem à familia patris naturalis exierunt, vel in ea non fuerunt nati, concepti. De quibus singulis in præsenti agendum est. In primis ab hac bonorum possessione arcentur INSTITUTI TVTI, l. 3. §. si quis ex liberis 11. cum seqq. vsque ad finem l. si duobus 14. l. sed sub conditione 18. de contrà tabul. Siue instituti sicut pure, siue sub conditione qualibet, posttestativa, mixta, aut casuali, d. l. 3. §. sed si sub conditio ne 12. Rationem facilem, & promptam reddit Vlpian. in d. §. 11. cum possit secundum tabulas habere possessionem, quò bonum est contrà tabulas dari? Ex quo sublineri non potest Gofredi doctrina, qui centuit, filium sub conditione casuali institutum, non exheredatum sub contraria, interim præteritum censeri: nascique statim bonorum possessionem contrà tabulas. Sed hoc convincitur ex d. §. 12. & quia sub conditione institutus adeò non censetur præteritus, vt pendente conditione bonorum possessionem secundum tabulas petere possit, l. 2. in princ. l. si sub conditione 5. - e bonorum posses. secund. tabul. Quæ sententia expressè deducitur, ex d. l. 3. §. si sub ea 13. Sed quamvis indistinctè de filio sub casuali instituto loquatur Gofredus, ne ei imputemus errorem contrà textum expressum, quem citavimus; videamus, an eius doctrina vera sit talèm in filio tuo sub casuali conditione instituto? Certum est, filium sub illa conditio ne

*Non habent  
contrari tabul.  
instituti,*

*Etiam sub co-  
ditione.*

ne institutum, non rite, & contrà formam iuris institutum censeri, l. *suis* 4. de heredibus inst. l. *filius* 15. de *condit. institut.* Ergò non est institutus. Ergò cum non proponamus, exheredatum à patre fuisse, erit præteritus. Et per consequens petere poterit bonorū possessionem contrà tabulas.

<sup>2</sup> Sic accepta doctrinà Gofredi, quæ prostat in dicit. leg. 3. §. si quis ex liberis num. 15. maximum fundatum in iure habet; qui à hi demùm instituti secundam tab. bonorum possessionem habent, qui vtilitèr institutæ sunt, leg. hi demum 6. de secund. tabul. Sed suis sub casuali conditione invtilitèr instituitur, si filius est, d. leg. *suis* 4. Ergò non potest petere secundum tabulas bonorum possessionem, ut docebat Bartholomæus Chesus lib. 1. interpret. iuris civilis cap. 11. Deinde, quandò Vlpianus docet non competere bonorum possessionem contra tabulas instituto sub conditione, expressè loquutus fuit de filio emancipato, in dicit. leg. 3. §. si sub ea 13. vel de nepote, qui sub quavis cōditione potuit institui, licet in postate existeret, dicit. l. 3. §. sed si nepos 14. nunquam verò loquutus fuit, de filio suo sub casuali instituto, ut doceret, competere illi bonorum possessionem contra tabulas. Ergò satis expressè indicare videtur, quanvis sit argumētum negativum, filio suo, sub casuali instituto, non conapetere hoc remedium. Adhuc tamen existimo sub doctiorum censurā, filium suum sub casuali institutum posse petere bonorum possessionem contra tabulas tanquam præteritum, si prætulerit hoc remedium; & posse etiam petere secundum tabulas, si maluerit, tanquam institutum: quā petitā confirmat, & ratām facit iustiūtionem, quanvis mero iure civili invtilis esset. Est quippè in potestate filij sui (fatribus heredibus scriptis, veleo, qui ab intestato rem habiturus alioquin erat, quod semper supponēdum est) si prætereatur, confirmare in totum, vel in totum annullare testamentum patris, vel petitā contrà tabulas bonorum possessione conservare legata exceptis personis

*Aliud in suo,  
qui secundum,  
vel contrà ta-  
bulas, provie-  
legerit, petere  
potest.*

relicta à filio emancipato, si & ipse eamdem bonorum possessionem petat; vel omnibus, si petat secundum tabulas, ut ex leg. filio 17. de iniustorupto, latius edictero in adversariis sequentib. ad leg. is, qui in potestate 15. de legat. prestand. num. 6. Igitur etiam erit in eius potestate, petità secundum tabulas, confirmare ex remedio Prætorio testamentum, & institutionem, quæ iure civili vacillabat.

*Deficiente casuali convertitur in contrâtab.*

*Ve è converso,*

*Quid ambæ ex eodem ordine sunt.*

*Nec opus est novâ petitione.*

3 Quod si casualis conditio defecerit, sub qua filius vel suus, vel emancipatus instituti fuerunt, illa bonorum possessio secundum tabulas sine re, quæ pendente conditione concessa fuit, convertitur in bonorum possessionem contra tabulas, l. 3. §. si sub ex 13. de contra tabul. leg. 2. §. 1. l. si sub conditione 5. ad secund. tab. E converso, petità bonorum possessione contra tabulas ab instituto, propter fratrem præteritum, & commisso per ipsum edicto, ut infrâ dicam, si præteritus repudiet bonorum possessionem contra tabulas, nec cum effectu committat edictum; illa bonorum possessio contrâ tabulas convertitur in secundum tabulas, l. non-nunquam 14. de legat. prestand. Sunt enim ambæ bonoru possesiones ex ordine testamentariarū, & facile altera in alterâ convertitur: & Prætor, qui alteram concedit, ad alteram eodem intuitu respectum habet. Paulus Castrensis in l. 2. C. de success. edicto num. 2. putat, opus esse novâ petitione. Ego vero ex ipsis textibus animadverto, hanc conversionem ipso iurefieri, & per tuitionem Prætoris, qui in possessione bonorum petità defendit eum, qui contratabulavit, si causa contratabulandi deficit, & scriptus heres sit; vel e contrâ tuetur eum, qui secundum tabulas petiit, defectâ conditione; si ex liberis sit, quibus bonoru possessio contrâ tabulas competit. Alioquin, si in casum præteritionis ipsis non competeret, non fieret prædicta conuersio, sed evanesceret bonorum possessio secundum tabulas. Exemplum extat in leg. non putavit 8. §. in adoptionem 11. l. si in adoptione 11. de contrâ tabulas.

**4** Aliquando tamen instituti bonorum possessio  
nem contrà tabulas petere possunt, si sint ex liberis;  
quibus hæc bonorum possessio competit: veluti si alii  
fratres emancipati præteriti sint, qui committant edi-  
ctum: tum quippè, licet ex sua persona non possint con-  
tratabulare, ex persona præteriorum possunt, id est,  
commisso per præterioros edicto, ipsi contra tabulas pa-  
tris, licet instituti sint, bonorum possessionem rectè pe-  
tunt, l. 3. §. si quis ex liberis 11. leg. non putavit 8. §. vlt.  
cum leg. seq. leg. si duob. 14. de contra tabul. Ad quam spe-  
ciem reduciuntur text. in l. ab exhereditati 129. versic. sed  
si, delegat. 1. l. vlt. §. si filius 2. cum. seq. de legat. 3. l. filius  
5. delegat. prestand. l. 1. §. 1. de coniungendis cum emancip.  
liber. eius. Quia de re, quia ex professo egi, lib. 3. Opus-  
cultur. ad di. t. l. vlt. §. si filius deleg. 3. supersedeo in pre-  
senti agere. Videndum etiam erit Benedictus Pinell. d.  
lib. 2. Select. cap. 3. ex num. 9. Vnus lane casus est, in quo  
instituto competit bonorum possessio contrà tabulas, si  
per alium committatur edictum; quæ præterit, & ex  
propria persona competere nō posset; veluti si sit filius  
in adoptionem datus, dict. l. non putavit 8. §. in adoptio-  
nem 11. l. in adoptionem 11. de contrà tabulas. De quo infrà  
agenius.

**5** Non competit quoque bonorum possessio  
contrà tabulas liberis *EX HEREDATIS.* In primis  
Vopianus indit. l. non putavit 8. incipit tractare, qui di-  
cantur ritè exhereditati, & quibus officiat exhereditatio?  
Hæc quæstio est de suppositis in hac materia; & propriè  
pertinet ad materiam *de liberis*, & *posthumis*, idcirco  
nos missam facimus; vt aliam, quam ad hunc titulum  
agitavit Merillus, lib. 2. poster. observat. cap. 31. an filiæ  
inter cæteros exhereditæ removeantur ab hac bonoru  
possessione? De qua in seqq. adversarijs: noto, post res-  
criptum Antonini Pi, & si præterit fuisse, non habui-  
se bonorum possessionem contra tabulas. Suppositis  
ergo supponendis, alsero, ideo liberis exhereditatis hoc  
remedium non dari; quia illis tantum concedit Prætor,  
qui

Instituti, com-  
missio per alium  
edicto, possunt  
contratabula-  
re.

*Exhereditati.*

qui si emancipati non fuissent, nullum testamentum paternum iure civili possent dicere; ast exheredati quanvis sui essent, non possent annullare testamentum: ergo non gaudent hac bonorum possessione, §. emancipatos inst. de exheredat. liber. Quod in tantum verum est, ut licet alter filius emancipatus præteritus committat edictum, exheredatus contrà tabulas petere non possit; sola quippe ei restat quærela, leg. si post mortem 10. §. exheredati s. de contrà tabul. Nisi præteritus sit suus; quo in casu licet petat contrà tabulas vtens remedio Prætorio, & ex testamento, si velit succedere, non confirmat filij exheredationem; quinimò venit ab intestato; leg. penult. de liber. Et post. ne testamentum per omnia irritum ad solam notam exheredationis profecisse videatur. De quo egi suprà in expositione leg. filium 20. de contrà tabul.

*Exponitur. si duobus 12. §. 1. hoc tit,*

6 In præsenti cum cura exponendum est textus, difficilis, & vexatus, in l. si duobus 12. §. 1. cod. titul. Proponitur filius in priore testamento perfecto exheredatus, præteritus vero in secundo, quod erat imperfectum. Quæritur, vtrum huic filio competit bonorum possessio contrà tabulas? Ratio dubitandi: quod secundum testamentum imperfectum non rumpit prius perfectum, §. posteriore inst. quib. mod. testam. infirmit. Ergo manet in primo testamento ritè exheredatus filius, & per consequens remotus à bonorum possessione contra tabulas. Nihilominus sic distinguit Consultus; vel institutus in secundo testamento talis est, qui si filius in rebus humanis non esset, habiturus esset ab intestato hereditatem: id est, erat sequens in gradu; vel erat remotus, extraneusve. In priori casu filio competit bonorum possessio secundo testamento præterito, quanvis in primo testamento esset exheredatus. In secundo vero casu, nihil valet secundum testamentum, & substitetur exheredatio in primo testamento facta. Accursius, Gofredus, & Cujacius, petunt rationem ex nova Iustiniani constitutione, quæ extat in l. hac consultissi-

ma 21. in fine Cod. de testam. Sed miror, viros magnos in chronologię ratione aberrare. Bartholomaeus Chesius lib. I. interpretat. 6. censuit imperfectum dici testamentum secundum, ex eo quod in eo filius emancipatus fuit præteritus, non ex alio capite. Verum licet in hac expositione fundanda innatur, nunquam persuadere Jurisperitis poterit, testamentum, omni iure solenne, imperfectum dici, ex eo quod resciforix subiaceat bonorum possessioni; alioquin & primum imperfectum dici posset, quod per exheredationē filij subiaceat quærelæ. Melius, ut existimo, censuit Ioannes Ronchegallus, in peculiari relectione ad tit. inst. de honor. posses. in d. §. sunt autem, folio mihi 97. nempè in secundo testamento fuisse filium suum, in potestate, præteritum, & ob id lato modo fuisse dictum imperfectum, id est non iure factum: quæ sententia multorum est, quos ciet, & apud ipsum videri possunt. Species ergo est, filium suum, siue in potestate testatoris constitutum, in primo testamento fuisse exheredatum, quo facto supponitur ritè, & perfectè factum fuisse testamentum: in secundo vero testamento fuisse præteritum; quo non ritè, & imperfectè patet testatus fuit. Ponamus, patrem cum hoc solo testamento decessisse: videamus, si potuit aliquo in casu testatus decidere? Et palam est, posse, modo scripti sint venientes ab intestato, qui non existente filio, hereditatem legitimam habituri erant: quia si filius non vult ut iure suo, substitetur testamentum ex æquitate, l. filio 17. de iniustorupto, de qua postea latius agam. Ergo non est verum absolute dicere, ad nihil prodesse testamentum, in quo filius suys præteritus fuit, scriptis proximis legitimis. Quia si filius illud non inquietaret, Prætor secundum eas tabulas bonorum possessionem scriptis concederet. Vnde subsumit in favorem filij. Ergo non est præteritus in testamento omnimodo, & undeque imperfecto. Ergo hoc testamentum rupit prius. Ergo non subsistit in primo facta exhereditatio. Ergo poterit petere bonorum posses-

sonem contrà illas tabulas supremas, in quibus se inventit præteritum. Acumèn ergo Gaij est; si hoc testamen tum respectu heredum scriptorum potuit, tacente filio, vires recipere ex æquitate: cur non debeat videri æquitas intuitu perfectum, si filius obloqui velit, & adversus illud bonorum possessionem petere? Cùm verò instituti sunt extranei, quia neque silentium filij potest illud ratum facere; tunc neque filius ipse obloqui potest: quia omnimodo nullum, & inperfectum est, nec rum- pit prius.

*Quod w. in-  
milib. edictis  
procedit.*

7 Quod diximus filium exheredatum repellit à bonorum possessione contrà tabulas, procedit etiàm in edictis affinibus. Ut in edicto de coniungendis cum emancipato liberis eius, l. 1. in princip. Et §. si pater 4. cum seqq. l. sinepos 5. illo tit. In edicto de ventre in possessionem mittendo, l. 1. §. toties 2. cum seq. Et §. si ven- ter 6. cum seq. illo tit. In edicto Carboniano, l. 1. §. si quis non ab aliquo 4. Et §. Pomponius 8. cum duobus seqq. l. si im- pubes 7. §. interdum illo tit. l. quide in offic. 20. de in offic. te- stam. quia non alijs conceduntur bonorum possessiones ex his edictis, testato mortuo patre, quam quibus bo- norū possessio contrà tabulas edita talis concederetur.

*Adoptivj.*

*Nisi emanci-  
pati à patre  
adoptivo.*

8 Denegatur etiàm hæc bonorum possessio filijs in adoptionem datis à patre naturali, & in adoptiva familia existentibus, §. minus 11. inst. de hered. que ab intestato defer. Quod si ante delatam bonorum posses- sionem exeat de familia patris adoptivi per emancipa- tionem, admittitur, l. si emancipatus 6. §. vlt. de contrà tabul. Dixi, antè delatam bonorum possessionem, id est ante mortem patris naturalis; ne alioquin sit in pote- state patris adoptivi, filium postea emancipando, decer- nere de bonorum possessione contrà tabulas patris na- turalis, ut ibidem dicitur, Et in l. cum in adoptivis 10. in princ. Et §. 1. C. de adoptionib. §. eadem 12. de hered. que ab intestato defer. Idem dicendum est de procreatis à filio naturali in adoptiva familia existente: & multò for- tius; quia in aī familia nunquam fuerunt, vt possent ea

ea exire per emancipationem, l. 3. §. si emancipatus 6. l.  
 vlt. §. vlt. de contrà tabul. Ex quo si tempore mortis in  
 potestate patris mansit, vel ab ea exierat per emancipa-  
 tionem, si ante petitam bonorum possessionem se in  
 adrogationem det, amittit beneficium, d. §. si emanci-  
 patus 6. Hic textus, & decisio optimè probat, Pæto-  
 rem tantum gesisse curā de his, qui emancipi erant;  
 alium patrem non habebant; ad alterius hereditatis  
 spem non vocabantur. Vnus, alterve casus excipitur.  
 Si avus paternus nepotem in potestate retentū in adop-  
 tionem dedit filio emancipato: quia licet transeat in sa-  
 cra patris naturalis non exit à familia avi, l. 3. §. si quis  
 filio 7. cumseq. de contrà tabul. Quod non est accipiendū  
 de familia, siue statu ciuili, qui per emancipationem  
 consumitur, seu mutatur, §. minima inst. de capit. dimi-  
 nut. Sed de familia naturali, quæ post minimam capi-  
 tis diminutionem durat, l. peto. 6. 9. §. vltim. de legat. 2.  
 l. pronuntiatio 195. §. familiæ de verb. significat. Velsi in  
 adoptionem datus filius institutus sit à patre naturali,  
 commissio per alium edicto, & ipse contrà tabul. pete-  
 re potest, l. non putauit 8. §. in adoptionem 11. l. si adoptio-  
 nem 11. de contra tabul. Igitur si institutus à patre, post  
 mortem ipsius se in adrogationem dederit, idem erit  
 dicendum, l. si post mortem 10. in princ. eod. tit. In cuius §.  
 illud notandum 3. decisus extat ex æquitate casus, ad  
 quem oportet animadvertere, ne in hypothesi erre-  
 tur.

9 Hec ex ipsis edicti verbis rectè dicuntur. Superest casus omissus. Sunt avus, pater emancipatus avi filius, & huius emancipati filius emancipatus etiam avi nepos. Pater se dat in adrogationem, nec transfert filium ut pote emancipatum in potestate patris adro-  
 gatoris. Decedit avus præterito hoc nepote: queritur an contrà avi tabulas petere possit bonorum posses-  
 sionem? Verba edicti illum excludunt, quia qui nunquam  
 fuit in avi potestate, non potuit ea exire per emancipa-  
 tionem. Mens edicti illum admittit, quia derelictus

Ante mortem  
patris.

Ratio.

In dato intra  
naturalem fa-  
miliam des-  
cit.

Et in insitu-  
to, commis-  
so per alium ed-  
icto.

Derelicti ex-  
trâ familiæ  
agunt vel ex  
edicto, vel ex  
decreta.

est, quia nullius hereditatis paternæ iure ciuili spem habet. Rursus quæritur de bonorum possessione contrà tabulas patris naturalis: an filio extra familiam derelicto competit bonorum possesio contrà tabulas patris naturalis in adoptiva familia decedentis? Non supponimus terminos obstantes, aut inhabiles; quia rectè potest dari, patrem familias decepsisse, qui decelsit in familia adoptiva; veluti si morte patris adoptivi liberatus fuit patria potestate, l. vtrum 9. de contrà tabul. notant Costa lib. r. select. cap. 15. num. 2. Cujac. tract. 4. ad African. in l. si duob. 14. §. 1. cod. tit. Etiam in hac quæstione verba editi obstant, quia nepos ipse non exit, sed derelictus fuit à patre. Mens ipsi suffragatur, qui derelictus fuit, ut præcedenti casu.

10. Ut vtrique hypothesis respondeamus, primum absoluenda est postrema quæstio. Et quidem Iulianus verbis editi inhærens denegabat nepoti contrà tabulas patris bonorum possessionem, èa perpetuà ratione: quia derelictus fuit, & non existit de potestate patris per emancipationem. Vipius vero Marcellus Iuliani antagonista contrarium censuit ex mente editi, penitentia ratione æquitatis: quia derelictus non minus fauore dignus est, quam emancipatus, l. si pater 17. de contrà tabul. Hanc Marcelli opinionem sequitur tanquam humaniorem Vipianus in l. 3. §. si pater 9. eod. tit. Ausim dicere eamdem æquitatem valere in primio casu respectu avi: quia licet nuaquam in eius familia ciuili fuisset, nec est adoptivus, neque alterius hereditatis spem habet, & derelictus fuit. Vide tamè infra num. seq.

11. Ex quo cum cura exponentus est locus Africani in dict. l. si duob. 14. §. 1. eod. tit. Hic l. Cons. nō solum assecla, sed ferè alter Iulianus fuit, qui ex huius Prudentis responsis pleraque suorum adornavit in libb. qq. quos nunc habemus, vt notavit Cujacius in proemio tractatum ad hos libb. Hanc ergò quæstionem versat ex Iuliani, vt par est, doctrina. Filius à patre datus fuit in adoptionem. Hic in adoptivâ familia existens filium pro-

*Æquitas Marcelli.*

*Explicatur, l.  
si pater 17.  
hoc tit.*

*Et l. si duob.  
14. §. 1. eod.  
tit.*

procreavit: qui nunquam fuit in familia avi naturalis, nec à patre suo derelictus fuit extra familiam: qui potius in familia adoptiva procreatus fuit. Decesit pater adoptivus: nepos recidit in potestatem patris naturalis. Emancipatus fuit ab eo: postea decesisit avus naturalis præterito nepote; queritur, an habeat contra avit tabulas bonorum possessionem? Respondit African. vel Julianus opus esse decreto, & causa cognitione, ut contrà tabulas avi petat. In hac re non dissenserunt Julianus, & Marcellus; quia Marcelli æquitas tantum prospexit derelictis extra familiam. Mutat speciem. Quid dicendum sit, si filius emancipatus iam se dedit in adrogationem, postquam procreaverat filium, & illum emancipaverat, derelicto filio extra familiam: queritur utrum contra tabulas patris eum derelinquentis, & contra tabulas avi bonorum possessionem petere possit? De patre iam erat decisa quæstio ex æquitate Marcelli; nam qui filium extra familiam dereliquit, habetur, ac si emancipasset, non commutata familia. De avo vero non erat decisa, qui nec emancipavit, nec dereliquit filium. Ideo in avo opus fuit speciali decreto ad indulgendam bonorum possessionem. Julianus in utroque casu decretum postulabat: Marcellus illud non desiderabat in primo: Africanus proculdubio sententiam Juliani sequutus fuit. Sed Compositores non debebant vestigium dissensionis in pandectis relinquere. Vide ergo quæ arte decisæ sit quæstio verbis Africani. Et contrà patris, & contrà avit tabulas decreto hunc admitti, minimè dubitari debere. Ex mente Africani decretum ad utrumque casum refertur; sed ex mente Triboniani ad easum avi ad quem sequitur immedietè, ut sic utramque scholam concordem faceret, & eos ad pacem redigeret, quibus frequens animus dissentienti fuit. Bartholomæus Chesi lib. i. interpret. 9. allusit, sed quid Nos addiderimus, comperiet, qui utriusque scripta contulerit. Possent in praesenti elucidari text. in leg. vlt. de contrà tabul. leg. vlt. §. i. de legat. prestandis, quia ad praesentem inspectionem

Triboniani diligenter laudatur.

Pertinent; sed ex dictis facile quilibet percipere poterit.

## CAPVT VI.

### DE HIS, QVI APPROBANT iudicium defuncti.

*Agnoscentes in  
dictum repel-  
luntur. Exponi-  
tur, l. si præ-  
teritus 15 hoc  
tit.*

**N**ON tam excluduntur, quam renuntiare videntur huic beneficio, qui testatoris iudicium approbat: qui enim sequutus fuit paternū iudicium, contrā eadē tabulas agens audiendus non est. leg. sub conditione 18. §. 1. de contrā tabulas. Exempla extant in l. si filius 30. de minorib. Veluti si agnovit legatum post inchoatum iudicium, etsi illud minor inchoaverit, modo maior sit tempore agnitonis, leg. si verò 8. §. vlt. de bonis libert. Item in l. si præteritus 15. de contrā tab. vbi si filius, cui pater legavit liberationem debiti, agenti heredi actione hereditaria opposuerit exceptionem ex testamento: repellitur à bonorum possessione contrā tabulas, tanquam agnoscent iudicium defuncti. Ita efformat speciem Accursius melius, quam Gofredus. In textu verò non sit expressa mentio liberationis legatæ: quarè & potes sic singere: rem patris penès filium fuisse, illique reliquam sinendi modo: hoc genus legati parat exceptionem legatario, ut retineat rem, quā possidet, Gaius lib. 2. inst. tit. 5. §. finendi 7. petijt rem testatoris heres à filio, qui contentus legato obiecit exceptionem heredi: cum postea velet contratabulare, non auditur. Igitur si filio præterito legatum relinquatur, constituere debet, vtro contentus sit, nam vtrumque consequi non potest, & legatum, & bonorum possessionē. l. 3. §. vlt. l. si post mortem 10. §. illud 3. hoc tit. l. filium 5. §. omnib. 2. delegat. præst. Imo videtur vtrumque consequi posse usque ad virilem portionem

tionem, l. virilis 8. §. si quis ex liberis 1. eod. tit. Respondeo, loqui in adeunte, qui prælegatum meruit: petità quippè per alium bonorum possessione conservatur aduenti, & agnoscendi virilis portio saltē; nec amittit legatum, nisi quatenus excedit virilem portionem. Secus verò si peteret ipse bonorum possessionem contrà tabulas; quia tunc amitteret legatum, leg. bonorum 22. eod. tit. de legat. præstand. vt cum solito iudicio exposuit magnus, & illustrissimus Præceptor meus D. Ramos in M. S. recitat ad l. si totam 83. de adquir. hered. num. 33.

2 Per contrarium petità bonorum possessione contra tabulas repellitur à legati petitione, imò si sine agnitione apud filium legatum sit, inhibetur retentio, leg. 2. §. 1. de his quib. ut indignis. Finge etiam causà mortis filio à patre donatum fuisse, & rem statim traditam, iuxta terminos, text. in l. 2. de mortis causa donat. postea contra tabulas borum possessionem petiisse, denegatur ipsi retentio. Quòd si donationem mortis causa post mortem patris agnovit, repellitur à contrà tabulas, l. si vero 8. §. sed et si mortis, de bon. liber. Si vero agnovit ante mortem, perdit donatum, sed non repellitur, l. post legatum 5. §. qui mortis 17. de his quib. ut indigni, iuxta Gofredum in dict. l. filium 5. §. omnibus num. 5. Differentiæ ratio est, quia recipiens mortis causà donationem ante mortem patris, non abiecit spem, quam in paterno amore habebat heredis instituendi, vel amplius recipiendi legatum: idè agnita donatione, non approbat univeraliter iudicium, de quo adhuc incertus erat. Sed agnoscens mortis causa donationem post mortem patris, qui filio præterito decepit, approbavit iudicium, petensque ex testamento, in quo facta fuit donatio, repellitur ab impugnando. Sic, qui contratabulavit substitutus sit fratri impuberi, quo impubere postea decedente, si velit ex testamento pupillari succedere, indigens sit, ei que hereditas aufertur, leg. 2. de his quib. ut indigni. l. is, qui 22. de vulgari.

*Intelligitur  
text. in l. virili-  
lis 8. §. si quis  
ex liberis 1.  
eod. tit.*

*Vt à legati pe-  
titione.*

*Et mortis cau-  
sa donatione,*

*Quam post mor-  
tem patris ag-  
novit, qui con-  
tratabulavit,*

*Et à pupillari.*

## CAPVT VII.

DE EFFECTV BONOR,  
possessionis contrà tabulas,

**F**INITVR etiam repudiatione, omissione, aut temporis lapsu. De quibus tamen modis in hoc tit. I. Consulti non agunt, nec nos disputamus, quia communes sunt cum ceteris bonorum possessionibus, que liberis competitūt. Restat ergo nunc, vt de effectu bonorum possessionis contrà tabulas disquiramus. Alter communis etiam est, vt potè, per quem Prætor omnia iura, actiones, prædia, bona, servos, & cetera transfert de herede scripto in filium contratabulantem, leg. cum emancipatus 13. in princ. de contrà tab. Prætor quippè bonorum possessorum heredis loco in omni causa habet, leg. Prætor 117. de reg. iur. vice heredis, leg. 2. de bonor. possess. quia bonorum possessio, vt hereditas, est successio prætoria saltēm in universum ius defuncti, leg. scio 6. de in integ. restit. & hereditatis appellatione idcirco continetur, leg. hereditatis 138. de verb. significat. Quæ & alia myrothecia congerunt ex professo Decius, Cagnolus, Cujacius, Petrus Fab. Revard. Iacob. Gothofred. & alij in d. l. 117. Classici in l. 1. de bonor. posß.

*Effectus communis est, au-  
ferre bona.*

*Et iudicium  
testatoris res-  
cindere.*

**2** Alter peculiaris est, nempe vt auferat iura, & bona rescindendo iudicium defundi, leg. 1. de legatis præst. non tamē rescindendo testamentum, nisi impropriè, quo modo loquendi vñi sunt Cæſſ. in l. vt liberis 17. C. de collationib. ideo intestatum non facit patrem familiias, sed ex testamento dicitur competere, §. sunt autem 3. instit. de bonor. possess. l. filiae 4. C. de collation. quod merito notant post multos Ronchegallus in d. §. sunt autem Costa

**C**ostain §. & quid sit tantum 3. part. ex num. 120. & 142.  
**P**inell. lib. 2. select. cap. 3. & alij quibus cum Nos etiam  
 sepiissime notavimus. Ideò si quando exciderit, rescin-  
 di testamentum, censendum est voluisse dicere, rescin-  
 di iudicium; non tamè fieri patrem familias intesta-  
 tum. Ex qua doctrina hanc regulam vniuersalem ita-  
 tuo. Bonorum possessio nostra rescindit omnem dispositionem de  
 bonis defuncti. Reliquas verò, quæ ad diminutionem patrimo-  
 nij non spectant, illas relinquit. Vnde datio ipsa heredi-  
 tatis respectu extranei, legata, fideicomissa, dona-  
 tiones caussâ mortis ex testamento pendentia rescin-  
 duntur: & libertates datæ servis testatoris non compe-  
 tunt, licet ante petitam bonorum possessionem contrà  
 tabulas hereditas aditâ sit. Scio, contrariam sententiam  
 placuisse Acurcio, Gofredo, & Cujacio, in l. virilis 8.  
 §. si adierit per textum ibi, de legat. præst. Costæ d. 3. parte  
 ex numer. 120. Verum, ni fallor, nostra magis suffulta est  
 iuris ratione, quam ideo fundabo, quia nova visa fuit in  
 propugnatione huius tituli, quem hoc ipso anno publi-  
 co certamini exposui; imò, vt verum fatear, existimo  
 quamvis concisè eamdem sententiâ tenere Cujacium  
 ad princip. tituli de legat. præst.

Generalis re-  
gula.

Etiam liber-  
tates, siue ex  
testamento be-  
reditas aditæ  
sit, siue non.

**3** In primis Prætor nominatim aufert bona,  
 prædia, seruos heredi scripto, in d. l. si emancipatus 13. vt  
 quid verò meminerit nominatim servorum, nisi manu  
 missi essent in testamento, cum alioquin bonorum ap-  
 pellatione comprehendendi potuerint? Deinde in l. hi qui-  
 bus 23. de legat. præstand. in quo supponitur, petitâ bono-  
 rum possessione contrà tabulas, servos testamento ma-  
 numissos sequi filium contratabulantem. Dicere verò  
 hereditatem aditam non fuisse, est divinare. Deinde in  
 effectu rescisionis iudicij nō differt quarela à bonorum  
 possessione contrà tabulas. Sed aditâ hereditate, quan-  
 diū imminet quarela, non competunt firmiter liber-  
 tates, l. cum filius 76. cum similibus de legat. 2. Igitur idem  
 est dicendum, dum imminet contrà tabulas. Ex quo di-  
 luitur fundamentum principale Gofredi, nemp̄ aditâ

Fundamenta  
præcedentis  
assertionis.

Contraria di-  
luuntur.

hereditate, statim libertates competere, l. vnic. §. libertatibus C. de caduc. toll. l. si post mortem 68. §. i. de legat. 1. l. testamento 23. §. i. de manumiss. test. quæ semel competentes retractari non possunt, l. ait Prætor 7. §. sed quod Papinianus, de minoribus, l. ei quis soluendo 88. de hered. instit. Qui à hoc argumentum supponit, competit ijsse libertates imminentे bonorum possessione contrà tabulas, quod Nos negamus. Secundum fundamentum debilius est, scilicet existentia sui competere libertates, nec retractari, quamvis ablineat, l. sciendum 32. de manumiss. testam. l. cum quasi 30. §. sed. & sisus 10. de fideicom. libert. l. Papinianus 8. §. quarta. sic intelligendo, de inofficio testament. Sed respondetur, abstentionem sui non infringere iudicium paternum, vt infringit bonorum possessio contrà tabulas. Denique non obstat text. in l. Papinianus 8. §. vlt. de inofficio testament. vbi si post quinquennium ex magna caussa quærela inofficiosi testamenti actum sit, beneficio restitutionis in integrum; quamvis obtineat; non rescinduntur libertates, quæ competierunt. Ergo Prætor suis remedij non rescindit competentes libertates. Respondeo, post quinquennium competere firmiter libertates; neque extraordinarium remedium Prætoris, qualis est restitutio in integrum, l. in causa, de minoribus, efficere posse, vt revo- centur. Ordinarium vero, & edictale, qualis est bonorum possessio contra tabulas, efficere, ne competant, dum rescissio imminet. Utuntur etiam auctoritate text. in d. §. si adierit. qui specialem decisionem contineat, nec ad alios casus extendenda: videlicet, quando instituta est excepta persona, cui ex rescripto Imperato- ris Antonini Pij, conservatur portio: quo in calu quan- vis eam recipiat de manu filij contrahabulantis, vt legatarij legata, si ex personis exceptis sint; nihilominus non infringitur, neque in effectu rescinditur ipsa insti- tuto: quin potius ex rescripto conservatur: quarè non imminet periculum rescisionis ex bonorum possessio- ne contrà tabulas, vt imminet heredi scripto extraneo.

4. Iudicium vero testatoris, quod circa ipsius bona non versatur, per hanc bonorum possessionem contrà tabulas non rescinditur, v. g. Si in testamento pater filio impuberi pupillaritè substituit; quamvis bonorum possessio contra tabulas petita sit, & rescindatur iudicium, manet substitutione pupillaris, ut ex tabulis pupillaribus hereditas adiri possit, vel secundum eas bonorum possessio peti, l. si quis impubes 22. l. ex duobus

34. §. vlt. l. & si contrà tabulas 35. de vulgari, l. vlt. §. si filius 2. cum seq. delegat. 3. l. filium 5. in princip. & §. 1. de legat, praestandis. Sed in hac re ingens dissensio est inter præclaros iuris Auctores, an haec regula valeat, siue ante bonorum possessionem petitam adita sit ab instituto hereditas; siue repudiata sit metu bonorum possessonis contra tabulas? Costa in d. §. & quid sit tantum 3. p. ex num. 142. Petrus Barbosa, in nouissimis posthumis ad titul. de vulgari in d. l. si quis impubes 22. numer. 14. & forsitan Gouæanus ibidem sic intelligendus, ne ipsi spissum imputemus errorem, censuerunt, tabulas pupillares confirmari ex aditione hereditatis, nec rescindi posse à bonorum possessione contra tabulas petita: quod si repudiata hereditas sit metu bonorum possessionis contra tabulas, evanescere substitutionem pupillarem opinantur: quasi dicant, bonorum possessio contrà tabulas non infringit testamentum pupillare, si iam aditione paterni confirmatum est; verum si nondum est confirmatum, sed destitutum, non confirmatur nostra bonorum possessione. In contraria sententia fuit Gofredus, in d. l. filium 5. § omnibus numer. 24. & 25. cuius sententia mihi verior videtur ex eo, quod idem iudicium est de repudiata à scripto hereditate metu bonorum possessionis, ac de adita: in utroque enim casu valet, vel rescinditur iudicium secundum diverlos effectus, l. 3. §. vlt. cum l. sequent. de legat. praestand. Igitur si aditâ hereditate conservatur substitutione pupillaris; repudiata hereditate metu bonorum possessionis, debet conservari. Deinde à paritate, ex leg. sed & si 10. §. vlt. de legat. praestand.

Non rescindit  
iudicium te-  
statoris, quod  
circa bona no-  
versatur.

Veluti sub-  
stitutionem pu-  
pillarem.

ex qua probatur, si metu bonorum possessionis repudiet institutus, dari contrà illum gradum bonorum possessionem contrà tabulas, nechereditatem substituto vulgaris deferri: ergò repudiatio metu bonorum possessionis facta pro adirione est, quæ facit, ut expiret vulgaris substitutio, l. postaditam 5. Cod. de impuber. & alijs substitut. Qui est melior modus dicendi, quam alius Goueani, in d. l. & si contrà tabulas 35. videlicet, aditionem hereditatis, vel contratabulationem ex æquo facere, ut casset vulgaris substitutio: non enim contratabulatio facit eam cessare, sed repudiatio, quæ pro aditione est, si metu bonorum possessionis fiat. Denique, quia text. suprà citati iadistinctè loquuntur, nèc citrà divisionem possunt reduci ad solum casum aditæ hereditatis.

*Et dationem  
tutelæ.*

5 Idem iudicium erit de tutelæ datione, quia non est dispositio de bonis testatoris, ideoque conservabitur: verum de ea questione non invenio iuris Confultos disputasse, quarè & Nos longiori tractatione abstinemus.

Huius editi notissima, & nobilissima exceptio est, quæ continetur in sequenti titulo de legatis praestandis contrà tabulas bonorum possessione petit à ad quem id circò paramus adversaria.



S E Q V V N T V R  
adversaria ad titulum de  
legat. præstand.

CAPVT VIII.

*DE CONSERVANDIS L E-*  
*gatis exceptis personis: qua sint ista? Quo*  
*tempore inspiciendum sit, an sint ex*  
*numero exceptarum? Ad tex-*  
*tum in leg. intervenit 23.*  
*de legatis præf-*  
*tandis.*



NOVA equitas, sed naturalis est, hu-  
ius edicti. Naturalis, quia per illud  
Prætor succurrat liberis, parentibus  
que, quibus naturaliter pietas debe-  
tur: nova, quia resciso iudicio per  
bonorum possessionem contrà ta-  
bulas, quasi non esset rescisum, Præ-  
tor legata conservat his personis. Itaque edicti novitas  
in eo consistit, quod resciso iudicio præsteatur aliqua  
relicta: non tam ex iudicio defuncti, quod non substi-  
netur, quam ex provideatia Prætoris. Ideò cessat ius  
accrescendi intèr extraneum, & legatarium ex exceptis:  
nec locus est repetitioni legatorum ex rescripto Severi;  
quia utrumque provenit ex iudicio testatoris, ut iufca

*Nova equitas  
buius edicti.*

dicam. Quomodo expono priora verba, leg. I. de legat. præst. indis.

Exceptæ in eo  
personæ sunt  
omnes ascendæ  
tes, descendentesq;  
vxor nomine  
dotis.

Siuè naturales;  
sue adoptivi,  
vxor per co-  
emptionem.

Etex iniusto  
coniugio que-  
sti.

2 Exceptæ personæ, quoad hanc edicti partem, sunt liberi, parentesque, vxor, itemque natus dotis nomine, dict. l. i. in fine principij. Parentes, & liberi intelligenti sunt in infinitum, pater, avus, proavus. Filius, nepos, pronepos; cuiuscunque sexus, viri, vel feminæ; item ex feminis descendentes, in adoptionem à patre naturali dati: imò qui in adoptivis sunt, id est à testatore adoptati. Dixi etiam posse defendi, vxorem, quæ in manum viri convenit, extra causam quoque dotis posse legatum petere, cum loco filii sit, quoad omnem causam successionis. Nec obstat, hoc edictum respicere iura cognationis, quia per adoptionem pater, qui iura agnationis adquirit, adquirit etiam iura cognationis; adoptivus enim omnibus, quibus agnascitur, cognatus fit. l. qui in adoptionem 23. de adoptionib. quare non minus adoptivi, quam naturales hoc beneficio gaudent. An gaudent ex iniusto coniugio quæsti? quæstio est à l. Consulitis omissa; ego tamen dicerem debere eodem gaudere. Pone, patrem familias, qui vxorem habebat, fuisse deportatum, retento naturali matrimonio ex uxore in deportatione filium suscepisse; hic filius naturalis est, quia ex legitimo coniugio non fuit natus, leg. ex facto 17. §. si quis rogatus s. ad Senatus cons. Trebell, ut præclarè docuit Amaya lib. i. observat. cap. 12. ex num. 14. quem sequit fuimus pridem. Ego lib. i. de interdict. & relegat cap. 5. dein eruditissimus meus D. Nicolaus Antonius lib. 2. de exilio cap. 8. num. 6. & cap. 10. num. 6. restitutum indulgentiæ principis legatum huic filio reliquise in illis tabulis, contrà quas bonoru[m] possessio petita fuit. Non dubito, quin huic, & reliquis iniustis filijs naturalibus conservada legata sint; cum parentibus adiungantur naturali cognatione, leg. hac parte 2. vnde cognati: cum similib. Et quanvis cognatio hæc tantum considerabilis sit, quoad legitimam successionem respectu matri leg. spurius 4. eod. tit. tamen quoad capienda legata, eiuldem parti-

Et inservit ut  
conceptio.

participare cum patre negari non potest. Etiam alia quæstio à Iurisperitis omittitur, an si filio naturali ex propria ancilla suscepto, testator, idemq; pater familiæ verus, vt argutè iocatur Martialis noster lib. 1. epigrammate 85. libertatem, legatumque reliquerit, conservandum sit, petitæ ab emancipato præterito bonorum posses sione contra tabulas? Negat Gofredus, quia servilis cognation nullius est momenti quoad successionis causam, leg. 1. §. pertinet 2. unde cognati, l. non facile 4. §. ult. de gradib. affinib. princip. inst. de servili cognat. Ego tamē legata huic filio conservanda contendere: quanvis iura successionis ei negarēt: quia huius partis edicti equitas naturalis est dict. l. 1. de legat. præst. vbi autem naturale ius inspiciendum est, servilis cognatio, & affinitas attenditur, leg. adoptivus 14. §. serviles 2. cum seq. de rit u nupt. Ad hanc partem spectat locus Pauli in l. si extraneo 46. de usufr. vbi filio præterito emancipato, testator matri proprietatem legavit deducto usufructu: heredem extraneum instituit, quo ipso per separationem proprietatis usufructus constitutus fuit. Præteritus bonorum possessionem contra tabulas petivit, quæ petitæ rescidit iudiciuni testatoris, & scripto abstulit bona, leg. §. emancipatus 13. de contrâ tabul. Matri testatoris debet nepos hic legatum ex hac parte edicti. Sed an nudam proprietatem tantum, an coniunctam cum usufructu, queritur? Respondet Paulus pietatis respectu (sic legitur in Florentinis, & in emendatoriis Codicibus) plenam proprietatem matri præstandam esse. Cujac. tract. 5. ad African. in leg. qui usumfructum 36. eod. tit. putat hanc rationem falsam esse, & coloratam, cuius iudicium, vt assolet, sequutus fuit Gothofred. in notis. Quasi in presenti nullo æquitatis prætextu opus sit. Ego substineo rationem, vt par est; quia proprietas plena ad matrem spectare non posset, nisi pietatis intuitu. Licet enim in persona heredis scripti, postquam adivit, radicatus esset usufructus, qui non solet egredi personam illius, in quo semel constitutus fuit, leg. necessario 8. §. ult. de periculo,

Exponitur l. si  
extraneo 46.  
de usufr.

culo, & commodo rei vend. cum alijs à Nobis adductis lib.  
1. Opusculor. cap. 20. quem locum, nostramq; qualem-  
qualem diligentiam laudavit de re agens vir doctissi-  
mus, & iurisconsultissimus Dom. Doctor D. Alphon-  
sus de Olea ex Primario Vallis. Oletano Regius Fisci  
Advocatus in Chancellaria Granatensi in suo per utilitatem  
statu de cels. iur. & act. tit. 3. quest. 5. num. vlt. & ob hanc  
rationem finito in persona heredis vsufructu, non posset  
non spectare plena proprietas ad matrem; quod agno-  
verunt Accursius in dict. leg. 46. Cujac. proximè lauda-  
tus, & alij, cum quibus lenti, magnus, & illustrissimus  
Præceptor meus D. Ramos in Academico M. S. tract. de  
iure accrescendi cap. 1. num. 27. & cap. 4. num. 20. tamen  
ranta est vis, effectusque bonorum possessionis contra  
tabulas, vt nedum bona transferat in contratabulante;  
sed etiam iura, quæ inhærent eius personæ personalissi-  
mæ, vt de impleimento conditionis probatur ex leg. is,  
qui in potestate 15. §. vlt. de legat. prest. alijsq; quæ suprà  
observata manent. Igitur & vsufructus transferendus  
erat, quanuis in persona heredis radicatus, & constitu-  
tus fuisset, ex æquitate Præatoria, quæ filium loco here-  
dis per omnia habet, quasi à patre esset scriptus. Per quæ  
æquitatem insuper habebatur juris ratio de extinc-  
tione, siue non translatione vsufructus ab herede, statim  
ad legatariam proprietatis deberet recurrere, nisi obsta-  
ret prædicta æquitas præatoria, quæ filio fayet, & quæ in  
eum omnia iura heredis scripti transfert, etiam perso-  
nalita. Igitur cum pugnaret æquitas, quæ fayet filio, cum  
pietate, quæ matri debetur; vincit pietatis respectus, ne  
contrà matrem legatariam translatio fiat vsufructus.  
Quod mysterium, vti ego existimo, claudunt prædicta  
verba.

4 Posthumo etiam ex hac parte edicti legatum  
conservatur, leg. 1. §. vlt. l. 2. delegat. prest. non tamen  
posthumo alieno, sed suo, vt eleganter perscrutatus fuit  
noster Costa in §. posthumus num. 15. inst. de legat. non er-  
gò posthumo alieno, multo minus posthumo extraneo:  
quia

*Item posthumum.*

*Modò effent  
sui.*

quà ea sola legata conservantur, què alloquin ut illa fo-  
rent, non petità bonorum possessione contrà tabulas  
leg. 3. §. vlt. eod. tit. legata verò relicta alieno posthu-  
mo hoc iure inutilia erant, ut dissentè probat Iustinia-  
nus, nisi cavillemur, in §. posthumo insit. eod. tit. Igitur  
quæ non deberentur confirmato iudicio, frustra rescis-  
so iudicio peterentur, contrà textus regulam in l. legata  
in utiliter de admend. legat. cum similib.

Succedunt aliæ questiones leves quidem, &  
indagationis facilis. In primis relictum servò exceptæ  
personæ non conservatur, l. 3. §. hoc autem 2. de legat.  
præst. licet quoad alia Prætoris edicta idem sit capere  
per se, ac per servos. Exempla extant in leg. siue 21. §.  
naturales, de iure patronat. & in l. 1. §. penult. & ultim. de  
successor, editio. Inspiciturque persona ipsa honorati, non  
solum commodum, quod ad ipsum potest spectare.  
Fortè, quia relictum seruo in ipsius persona consistit,  
postquam capacitatem à domino mutuatus fuit, leg.  
debitor 82. § servo alieno de legat. 2. Et sic per accidens est,  
ut spectet ad dominum, cum possit pro premio liber-  
tatem consequi, vel alienari: quibus in casibus accidē-  
tib: ante diem legati cedentem mutatur acquisitionis  
ius, ut latius disserui lib. 3. analecto de interdict. & relegat.  
excursu 5. Ergò in hoc legato non potest ab initio pers-  
picci necessaria voluntas restatoris honorandi exceptam  
personam, cum possit ex postfacto immutari acquisi-  
tio. Si exceptæ personæ legatum relictum sit, quod  
alij restituere rogetur, potius est quasi nudus minister,  
quam legatarius, arg. ex l. si Titio 17. de leg. 2. Quæritur  
opportunitè in præsenti: si incapax rogetur restituere ca-  
paci, substitetur fideicommissum, & propter id lega-  
tum, ex persona capacis, leg. cum ei 42. de legat. 2. l. cogi-  
16. §. hi, qui solidum, ad Senatus cons. Trebell. cur ergò lega-  
tum exceptæ personæ relictum, quod conservatur ex  
hac parte edicti non substitetur propter legatarium,  
resciso fideicommissio, siue illo onere, quod extraneo  
dandum erat? Respondeo, quia plus favet Prætor ei,

Non verè seruo  
exceptæ perso-  
næ.

Ratio.

Neque si excep-  
ta alij rogetur  
restituere.

qui ex liberis est, qui bonorum possessionem contratabulas petere possunt; quam exceptis personis. Si sublatum onere, vel fideicommisso purum remaneret legatum, amitteret illam rem filius, ut excepta persona eam consequeretur. Si non removetur onus, vel fideicommissum; rescinditur per bonorum possessionem contratabulas, & illud retinet filius. Ergo non conservatur in excepta persona legatum, quod alij iussus fuit restituere. Secus si extraneo datum fuit legatum, &rogatus fuit excepta persona restituere: conservatur fideicommissum hoc, ita in dict. leg. 3. §. sed & si, cum seq. quia fideicommissum, & commodum, & honorem continet, l. ab eo 9. C. de fideicommiss. Quarè meritò in hac edicti parte fuit comprehensum. Tungendi sunt text. in l. filius 5. §. 1. quod cum eo, l. si necem 4. §. vlt. de bonis libert. De iure accrescendi infrà dicam.

6 De vxore, & nuru est aliquid in praesenti dicendum. Vxori non conservatur quodlibet legatum, sed legatum relictum pro dote, leg. 1. de legat. præstand. Nempè illud, quod recipit, non quod accipit; quod ipsi redditur, non quod datur, ut alias dicitur in leg. cum pater 77. §. filie, delegat. 2. l. 2. §. dicebam, de dote prælegata. leg. sed vsus fruct. 8 1. § dos. ad leg. Falcid. uno verbo, illud, quod actione de dote consequi poterat, si relictum sit in testamento, conservatur vxori. Igitur neque ei conservatur relictum nomine dotis, que nullam dotem habuit, l. is, qui in potestate 15. §. ei, qua 3. de legat. præst. Neque vltra quantitatem dotis relictum vxori conservatur, leg. virilis 8. §. si quid vxori 3. eod. tit. Videlicet tamen obstarre textus in leg. sed & si 9. eod. titul. Disserta verba sunt: Sed & si plus sit in legato, quam in dote dabitur illis actio. Accursius, & Alseclæ sic prædicta verba interpretantur; dabitur illis actio usque ad concurrentem quantitatem. Quam interpretationem approbat Cujacius in recitat. posteā ad Paulum lib. 41. ad edict. in eadem leg. censuit dari actionem vxori ad legatum solidum, quanvis plus sit in legato, quam in dote. Prima interpreatio

Sects in con-  
rio casu.

Explicatur fe-  
rē total. 3. hoc  
tit.

Vxori conser-  
vatur, quod a-  
ctione de dote  
consequi posse.

præstatio caret acumine; viq; ad cōcurrentē enim quantitatē dubitaret nemo, iubstinendum esse legatum: secundam cum venia maximi Interpretum iuris civilis, falsam iudico: si enim solidum legatum, & quidem amplum vxori conservaretur, quia prætextu dotis relatum fuit, fraus in hac parte edicto inventa esset: cum quilibet posset vxori in minimo dotatæ magnas relinquare facultates pro dote. Et alioquin certum in iure est, cum committere in legem, qui verba legis complectens contra eius nititur voluntatem. Dicerem sub doctiorum censura. Ei, quæ in pecunia numerata dotē constitutam habet, nihil amplius, quam summam dotis posse relinquere. Ei verò, quæ dotem habet in corporibus, posse taxationis vice summam pro dote relinquere. Quæ taxatio non acerbè, neque ut inter infensos, facienda est; valet quippe hic illud: *inter bonos bene agier, oportet, & sinè fraudatione.* Igitur si in hac specie plus sit in legato, quam in dote, ut dissimulandum sit, nihilominus dabitur actio. Idem si non sit legatum, sed portio hereditatis reliqua animo compensandi pro dote, l. sed s. 10. sequenti. Quas sic accipi velint, magis suppositis terminis, quam per divinationem.

7 De nurus, vxorisque discriminine, quoad hanc edicti partem. In primis matrimonium ipsum est, quod huic æquitati facit locum vxoris respectu, leg. 1. de legat. præstand. Ex quo sequitur, debere esse uxorem mortis tempore, aliter ei non conservatur legatum, siue bona gratia, siue cum animi offensa discesserit a marito, dict. l. sed & si post mortem 10. §. 1. Qua in re distat hoc edictum ab illo legato, quod vxoris causæ emptum, paramq; est. Ad quod capiendum sufficit, si a marito malâ gratia non diverterit, quavis in matrimonio usque ad mortis tempus non perseveraverit: tantum quippe censemur ademptum, si divortium offeso animo factum intercesserit, leg. item legato 49. §. sed ut legatum 6. delegat. 3. iuncta l. 3. de auro, & argento legato. Quam differentiam observavit Gofred. in dict. l. 10. In nuru verè

Non plus.

*Explicatur I.  
sed & si 9. cū  
seq. hoc tit.**Discrimen in-  
ter nuri, uxo-  
remque quoad  
hanc partem ex-  
dicti.*

aliud dicendum est; quippè si matrimonium maneat in tēr filium, nurumq; tempore mortis saceri, eiusdemq; testatoris, non sublinetur legatum, *dict. l. 10. §. finurui;* valet enim legatum in vim actionis de dote; & cum constante matrimonio hæc actio non competit, invtiliter cedit legati dies. Vide text. cum materia *in leg. 1. §. Celsus 9. alias leg. si sacer 2. de dote præleg.* Planè uno casu valebit, si propter inopiam viri, constante adhuc matrimonio mulier etiam de dote agere possit iuxta principia text. *in leg. si constante 24. solut. matrim.* Quiā ad effectum exigendæ dotis perinde habetur, ac si fuisset dissolutum matrimonium, ut rectè censem Classici. Accursius amplius audet, quanvis non valeat, quo tempore sacer decebat, & inutile sit tunc posse convalescere quandoq; dissoluto matrimonio filij, & nurus: inducitque textum *in leg. sub conditione 16. de solution.* Sed tam inductio, quām doctrina merito displicuit Gofredo: quiā novum est, vt legata convalescant, quorum dies ab initio inutiliter celsit: & quiā opponitur litteræ *dict. §. finuru.* Rationem differentiæ inter vxorem, nurumq; quoad hanc editi partem præbuit idem Gofredus: quiā in uxore locum facit editio matrimonii: quo non constante cessat per consequens æquitas. In nuru verò æquitatis causa est affinitas, non matrimonium; cum inter sacerum, & nurum non sit matrimonium, sed affinitas: que etiam dissoluto quomodo unq; matrimonio durat, *§. affinitatis inst. de nuptijs.* Addo & Ego, cum uxori pro dote legatur à marito, non posse delegato queri, priusquam matrimonium per mortem viri dissolutum sit, quo casu parata erat uxori actio pro dote; & sic utrumque remedium sub idem tempus necessario concurrit: cum verò sacer nurui legat pro dote, necesse est, vt cogitet de matrimonio iam dissoluto; vel saltem dissolvendo tempore mortis ipsius; alioquin non posset pro dote legare. Ideò in uxore requiri mus, solvi matrimonium per mortem viri, & usque ad illud tempus durare. In nuru requiri mus, quod iam dis-

*Eius ratio.*

dissolutum sit. Itaque utraque ratio coniungenda est.

8 Dedonationibus causa mortis superest alia inspectio. Donationes causâ mortis in testamēto factæ, vel in codicillis in hac edicti parte comparantur legatis: rescinduntur enim, quæ extraneis relictæ sunt, & conservantur, quæ relinquuntur exceptis personis, leg. 3. in principio eod. tit. Nec refert, quod ab ipso testatore traditæ sint: quia & legata non desinunt esse talia, quāvis in vita testatoris tradantur, l. Lucius 22. de legat 2. licet regulare sit, ut tradantur ab herede princip. inst. de legat. Donationes verò causa mortis extra testamentum, codicilos ve factæ, ad hoc edictum non spectant, id est, non rescinduntur etiam collatæ in extraneos, quanvis filius bonorum possessionem contrâ tabulas petat, nihil enim habent coniuncte cum tabulis testamenti, siue quia nulla earum comparatio est cum legatis, leg. filius 20. §. 1. eod. tit. de legat. prestat. Quemadmodum nec per quæ relam in officioli testamenti rescinduntur, leg. etiam 11. de inofficio testam. Quæ distinctio in alijs iuris articulis observatur, l. Marcellus 15. l. illud 37. de mort. causa donat. notant Cujac. tract. 1. ad Africanum in l. 10. si quid in fraud. patroni, & tract. 2. in leg. si filio 23. de mort. cauf. donat. & lib. 10. obseruat. cap. 28. Donell. lib. 8. cap. 1. & lib. 14. cap. 33. addendus Molina lib. 1. de primog. cap. 12. num. 16. & 30.

9 His concisè, concinnèque præmissis, agendum est de regula, quam proponit noster Tryphoninus lib. xvij. disputationum in l. intervenit 24. eod. tit. delegat. præstand. Quæ apprimè necessaria est toti huic tractationi manifestandæ, & miror ab alijs Consultis de ea ex proposito non fuisse disputatum. Verba Tryphonini sunt. Intervenit illa questio, quando numero liberorum debeat esse is, cui legatum datur est, ut id ferre possit à filio bonorum possessionem contrâ tabulas accipiente? Et placet sufficere in ea necessitudine tunc esse, quando dies legari cedit. Hæc decisio alia supponit, alia decidit, quæ discretim expoundenda sunt. Supponit ab initio debere esse legatum utiliter relictum exceptæ personæ, ut locus sit questio-

Conservantur  
donationes cau-  
sa mortis factæ  
in testamento.

Quod tempus  
spectandum?  
Explicatur  
Tryphoninus  
in l. interve-  
nit 24. hoc ti-  
tul.

Inutilia alio-  
quin legata nō  
conservantur.

ni: alioquin si ab initio inutile foret, non posset ex hac parte edicti conservari, quæ tantum conservat exceptis personis illa legata, quæ alioquin utilia sunt, & per bonorum possessionem contrà tabulas essent rescindenda, leg. 3. §. vlt. eod. tit. Ergo si pater filio deportato testamenti tempore legatum reliquerit, non subtiliterbitur, quauis mortis tempore inveniatur restitutus: obstat enim regula Catoniana, secundum quam legata ab initio inutilia ex postfacto non convalescunt, l. 1. de regulâ Catoniana. In quo distat hæc pars edicti à principali secundum subiectam materiam: namque filius deportatus tempore facti testamenti, emancipatusque, si tempore mortis patris sit restitutus, habet bonorum possessionem contrà tabulas patris, l. 3. §. liberi 10. de contrâ tab. cum sufficiat ex liberis esse tempore mortis: legatum tamen non feret, quia inutile est ab initio. Id cirkò de hac hypothesi non est accipiendus Tryphoninus, cum docet, spectandum esse mortis tempus, ut excepta persona sit ex illis, quibus ex hac edicti parte conservantur legata. Sed pone, in civitate suis tempore facti testamenti, medio tempore deportatum, tempore mortis restitutum: tunc ipsi legatum conservabitur, ex vulgari mirothecio, quo docemur, media tempora non nocere, l. s. alienum 49. §. in extraneis, de hered. insituend. Cui casui sine ullo aburdo Tryphonini regula poterit adaptari, ut & illa communis.

Ei, qui mortis  
tempore in re-  
bus humanis  
non est, nihil  
conservari po-  
test.

10 Secundo, ad omnem successionem requiritur, ut is, qui successurus sit, in rebus humanis saltem sit tempore mortis eius, de cuius successione agitur, leg. 1. §. sciendum 8. l. Titius 6. cum l. seq. de suis, & legitimis heredibus. l. 1. §. si quis proximior 7. unde cognati §. planè 7. inst. de hered. que ab intestato defer. Quod qualiter accipiendum sit, etiam quoad maioratus Hispaniæ, probè docteque explicant Gregor. in leg. 9. tit. 1. glossa 2. Part. 2. & in l. 2. tit. 15. glossa 18. in fine eadem Part. Molina de primog. lib. 1. cap. 6. num. 48. & seq. & cap. 13. num. 36. & seq. & utrobique Addentes. D. Valentia lib. 3. illustr.

de liber. & posth. 2 tract. cap. 1. num. 6. D. Olea de tess. iur. & action. tit. 4. ques. 4. à num. 10. Pone, omniibus libe- ris, posterisque suis generaliter testatorem legata reli- quise. Quorum aliqui post ipsius mortem fuerunt con- cepti: petità contrà tabulas non conservabuntur his le- gata; quia non erant ex personis exceptis tempore mortis. Hic est unus casus, cui accommodatur textus Tryphonini, ut suboscure senserunt Gofredus, & Molina dict. cap. 13. num. 36. Videlur tamen obstat à si- mili textus in leg. si cognatis 19. de reb. dubijs. vbi propo- nitur relictuni à testatore legatum cognatis ipsius (in præsenti verbum cognatis significat agnatos, vt ex pro- positione questionis perspexit ibi Donellus sub lib. 8. commentar.) aliqui erant agnati tempore testamenti fa- ciendi, qui ex agnatione esse desierunt per emancipa- tionem postea supervenientem. Alij verò postea in- gressi sunt in agnationem per novam adoptionem, qui ex tempore testamenti nō erant agnati. Queritur utris ex his debeatur legatum? Et respondetur omnibus in- distinctè deberi. Ergo non præcisè inspicitur, vt in ea necessitudine sint tempore mortis, sine tempore dici legati cedentis, intèr quæ tempora nihil ad præsentem inspectionem attinet constituere differentiam. Res- pondet Gofredus in hac leg. 24. ex hac parte edicti pre- stari legata exceptis personis contra iudicium defuncti, id est, resciso iudicio, quasi rescisum non fuisset ex Pre- toris auctoritate; tantum favet ijs, qui in ea necesi- tudine sunt, quandò nascitur bonorum possessio con- tra tabulas; quam sic emancipato tribuit, vt resciso iudicio nihilominus præstet legata exceptis: ergo de his, qui tunc in ea propinquitate non sunt, non curat. At in dict. l. 19. debetur legatum cognitioni ex volun- tate testatoris: cuius supremum iudicium affectum ha- buit erga eos, qui tunc temporis ex agnatione erant, nec revocatum censetur, quamvis postea emancipen- tur à parentibus suis: cum respectu præsentium esset af- fectus erga personas. Rursus & generali modo legandi cumdem

Explicatur l. si  
cognatis 19. de  
reb. dub.

eumdem censemur habuisse affectum erga agnationem  
universalem, domum, parentelam, causam in com-  
muni; licet quandoque his barbaris vocibus, ut ad ex-  
primendum conceptum. Igitur denuo in agnationem  
adsciti etiam in generali modo legandi propter enixa  
testantis voluntatem comprehenduntur.

11 Ex quo tertius casus accommodatur praedicto Tryphonini textui. Finge, testatorem tempore facti testamenti legasse Seio extraneo; qui post testamentum factum, sed ante mortem testatoris, vel ab ipso, vel a filio emancipato testatoris adoptatus fuit: itaque excepta persona erat tempore mortis. In hoc casu proculdubio dicendum est, Seium debere ferre legatum petitam bonorum possessione contratabulas: quia sufficit in ea necessitudine fuisse, quando dies legati cedit. Quod de hoc textu Tryphonini dixisse sit satis.

12 Licet ad hanc materiam non spectet sequens investigatio, omitti tamen non debet propter affinitatem, quam cum ea habet. An patronus testamento liberti præteritus, qui petit bonorum possessionem contra tabulas, debeat legata exceptis personis, ut filius qui contratabulas patris eam petit? Accursius in l. si his 4. de condit. & demonstrat. & alibi sèpè, censet affirmatiuè: illis ipsis patronum teneri præstare legata, quibus præstat filius ex hac parte edisti. Cui videtur assentiri Govean. in leg. pater 28. num. 3. ad leg. Falcid. & expressus in l. ex aße 52. n. 2. eod. tit. quæ apud veteres communis fuit opinio. Merito tamen rejecitur à subtilissimo Primario nostro Costa lib. 2. selectar. cap. 7. num. 7. Nullibi enim legimus hoc iure patronum teneri præstare legata de portione sua, nisi liberis à liberto exhereditatis, d. l. si his 4. dict. l. ex aße 52. l. si eius 64. §. vlt. ad S. C. Trebell. Optimè à ratione, quia cum inititi possent obstatre patrono; non debet eis legata à patre relicta denegare; quæ ratio in alijs, quam in filijs, non militat.

13 Qua in investigatione vix est alius locus difficultatis, nisi Marcelli in dict. l. ex aße 52. ad l. Falcidiam. Verba

Sed ei, qui moris testatoris tempore, ex exceptis, conservatur.

Patronus contratabulæ que legata debeat?

Exponitur leg. ex aße 52. ad l. Falcid.

Verba sunt. Ex aſſe patronum heredem instituit libertus, cum ducentos aureos in bonis haberet, & legavit filio centum viginti, extraneo reliqua. Diminutio legati, quod extraneo præstat, proficit filio ad capienda ſolida, qua eī legata ſunt. Species, & decisio in coimperto eſt, ſed diſſicilis eius conculſio. Patronus maior centenario, de quo infrā dicam, habet virilem portionem cum filio ex lege Papia. Vlpian. in fragm. tit. 29. Iuſtin. in titulo de ſucceſſione libert. Si iuſtitutus eſſet filius ex aſſe, & filius p̄teritus, dimidia pars ad alterutrum ſpectaret. Ergo cum exheredatus fuifſet (quod merito ſupponit Costa in §. & quidſitatum 1. part. ex num 59.) tantum ei debuit legati titulo ſumma centum aureorum. Quod putavit Cujac. lib. 25 obſervat. cap. 24. vbi litteram emendayit, & pro CXX. reponuit C. quam reſtitutionem in textu ipſo fecit Goveyan. Deindē mirum eſt, quod dicit Marcellus, p̄ſtare extraneo legatum; cum ex legitima nulli p̄ſtet patronus. Ideo iterum textum correxerunt, reponentes non præſtat. Si aliiquid plauſibile redi potest pro huius textus expoſitione, omissis p̄dictis emendationibus, & Fabri alijs lib. 1. coniect. cap. 15. eſt, quod excogitavit Hormanus, & ſuo iudicioſiſimo calcuло comprobavit magnus Præceptor nre illuſtriſſimus D. D. D. Franciſcus Ramos de el Manzano Supremi Indiarum Consiliij digniſſimus Præſes in M. S. ad ll. Papiam, & reliquas 2. part. cap. 2. num. 5. nempe patronum, qui potuit uti ad diminutionem legatorum lege Papiā, ex qua virilem cum filio conſequeretur, vigintique illi auferret, & extraneo octuaginta l. 1. §. interdum, ſi cui plus, quam per legem Falcid. maluiffe, ut indulgentior eſſet liberto testatori, deducere quadrante ex lege Falcidiā: in quo computando Consultus Marcellus de lege Falcidia, non de Papia, respondit, totum quadrantem, ſcilicet quinquaginta, auferendum eſſe extraneo, nihil filio; extraneo ergo ſola triginta reliqua præſtanda ſunt. Et haec diminutio legati, quod extraneo præſtat, ſcilicet

diminutum, cum lege Papià vii nolit, proficit filio ad capienda solida centum & viginti.

## CAPVT IX.

DE INTELLECTV L. SI DVOBVS  
 14. in princip. de bonorum posses. contrà tabulas leg. is, qui in potestate 15. leg. si duo  
 16. de legatis præstandis. Vbi per quinque conclusiones exponitur, qui teneantur præstare legata ex hac parte edicti.

**D**IFFICILIA valde reputantur hæc loca, in quibus veterū l. Consultorum dissensionis agnisci vestigium palam profitentur Gofredus, & Cujacius. Et cum illis componendis, & concordandis sedulam collocaverint operam Benedictus Pinellus libro 2. selectar. capit. 3. & Iosephus Santolarius Primarius Oscensis lib. singulari interpretationum l. Consultorum selecti iudicij cap. 16. nondum tentatum perfecerunt. Nos autem multum ab ipsis edocti, & aliqua ex penu nostra suggestentes, quantum valuerimus, curabimus ad certas propositiones eorum tractatum breviter, dilucideque redigere: ut nihil in ipsis contrarium, aut dissonum à recta iuri ratione appareat.

*Filio suo prægerito item e-* 2 Sit prima propositio ex dict. l. is, qui in potestate 15. in princip. elicita. Si suus præteritus est, item filius emancipatus præteritus sit, instituto extraneo: suus

suus quoque iure impugnet testamentum, siue re-medio civili, dicendo nullum; siue iure prætorio, con-trabulando; nec extraneis, nec exceptis præstat iega-ta. Emancipatus quoque licet contrâ tabulas petat, nu-lла præstat legata; id est, nec præstat extraneis, nec præ-stat exceptis. Ratio est, quia suo præterito, & extraneo instituto, nullum adeò fuit testamentum, ut nec iure prætorio substineri vñquam possit, l. vlt. de liberis, & posthum. l. i. §. vlt. si tabulae testamenti nullæ extab. quo in casu recipienda est doctrina de nullitate præatoria, alio-quia nimis generaliter tradita ab Antonio Fabro lib. 9. conjectur. cap. 14. Ergo ex nullo testamēto nulla posunt deberi legata, ut ratiocinatur optimè, & ad rem subti-lis Costa in §. & quid si tantum 3. parte, num. 67. & 231. Cum itaque ab initio nullum fuisset testamentum, sta-tim iure sui, siue continuationis, paterna bona filij in potestate constituti apparuerunt. Igitur licet non vu-de libiri, sed per contrâ tab. velit partem suam auferre emancipatus, non confirmat testamentum, quod nul-lum fuit; sed portionem virilem avocat à fratre suo: ut Consultus elegantius dixit: quia effectu fratris aufert par-tem dimidiā: cumet, si hic non peteret, suus solus rem habitu-rus esset ab intestato. Quæcunque ergo bonorum posses-sio in hoc casu petatur; siue eam petat suus, siue eman-cipatus, non tam contrâ tabulas est, quam contrâ lig-nūm, inanis, contrâ exteriorem formam testamenti, ut alioquin dixit Tryphoninus in l. quod vulgo 19. de bonor. posses. contrâ tabulas. In hoc principio tantum sit sermo de duobus filijs præteritis; ergo non potest poni alias filii institutus sine vitio divinationis.

3 Sit secunda propositio deducta ex versic. quid ergo, eiusdem leg. Si institutus sit suus, & emancipatus præteritus; suusque omiserit causam testamenti, ut ab intestato se immisceat bonis paternis; perindè habetur, ac si adiisset, leg. i. §. qui sunt in potestate 7. si quis omis-sa causâ testamenti. Omnia geruntur tanquam ex testamē-to: suus omnibus debet legata: emancipatus præteri-tus

mancipato præ-  
terito: extra-neo instituto,  
nulla debentur  
legata;

Quia nullo iu-re testamentū  
valet,

Et inanis effe-  
contrâ tabu-las.

Instituto suo,  
præterito ema-cipato: suus  
omnibus debet  
legata: suus ab-  
stineat, viab in  
testato occupe-  
sue se immis-ceat.

tus contratabulans debet tātum exceptis. Igitur si suus institutus sit, & adierit ; quanvis emancipatus præteritus petat bonorum possessionem contrā tabulas, omnibus debet legata pro portione, quam ex institutione retinet. Hæc consequentia recte infertur ex hoc versie. & evidentè probatur ex dict. l. si duob. 14. versie. quod si is , qui in potestate , de contra tabul. vbi postquam Africanus dixit, in sua pecie, emancipatum præteritum ad euntem omnibus teneri præstare legata, licet frater præteritus contratabularet; hæc verba adiecit: Quod si is , qui in potestate est , heres institutus sit ; non aliud dici posse , quam sum petere posse bonorum possessionem: si modo hereditatis non immiscuerit ; tunc enim , quia iudicium patris comprobasse videtur , in eodem loco , quo emancipatum , haberidebere. Igitur suus institutus siue se immisceat ex testamēto, siue fraudulentè abstineat , omnibus debet legata. Ratio est, quia prætorium remedium bonorum possessionis contra tabulas non elidit immixtionem factam à suo , nec pro ea parte iudicium rescindit paternum, sed tantum portionem subducit.

*Quid contra tabul. non elidit immixtionem sui.*

Institutus, qui ex persona præteritus petit contra tab. tantū exceptis præstat , siue fit suus, siue emancipatus.

*Non incidit in sententiam editi , si quis omisit causam testam.*

4 Tertia propositio colligitur ex §. sed si unus 1. eiusdem leg. 15. Sunt duo filii emancipati , alter institutus, alter præteritus: si institutus, commisso per fratrem edito, contrā tabul. petit, solis exceptis præstat, vt præteritus. Idem de suo dicitur in dict. versic. quod si is. Quia suo etiam competit hoc remedium, leg. non patavit 8. §. à primo 5. de contra tab. vbi extat aliud exemplum, in quo suo necessaria est hæc bonorum possessio. Quæri posset bellissimè in præsenti ; si suus , qui abstinet, incidit in editum si quis omisca causa testamenti, cur suus, vel emancipatus instituti, qui petunt contrā tabulas, non incident factam in editi sententiam ? Respondeo ; quia commisso per fratrem edito, institutus habet electionem ex edito Prætoris adeundi, aut contratabulandi, leg. non patavit 8. §. vlt. cum ll. seqq. de contra tab. l. nonnunquam 14. de legat. præstand. eum similibus. Et sic nulli facit fraudem, qui iure suo vtitur. Illud etiam quæri

queri posset; cur suus institutus, qui abstinet, censetur se immiscuisse, vel ut sic dicam, adiisse ex testamento; & non censeatur petisse bonorum possessionem contratabulas, licet frater emancipatus præteritus sit, qui cōmittat edictum? Ut dissertè probatur ex leg. si filius 23. si quis omis̄. causa testam. Respondeo, vt magis fraus punitatur; & quia ius immiscendi à semetipso habet; ius contratabulandi pendet ex iure, & facto fratri præteriti dict. l. non nunquam. Idcirkò assumitur pro facto illud, quod ex persona ipsius heredis instituti pendet. Ergò cum institutus ex persona fratris præteriti petens bonorum possessionem contra tabulas solis exceptis legata præstet; consequens est, vt præteritus ipse alijs, quam exceptis non præstet: quia proptèr quod vnumquodq; tale, illud magis. Quod in præterito semper verum est, siue institutus adeat, siue contratabulet.

Quarta propositio desumitur ex versic. de scripto, eiusdem §. 1. dict. l. 15. Si duo sint emancipati, alter institutus, qui adiit hereditatem; alter præteritus, qui petivit contrà tabulas bonorum possessionem. Scriptus tantum præstat exceptis: ex plurimorum sententia, quam vt veram approbat Paulus dissertè. Ergò in hoc casu non tenetur præstare omnibus, vt non reditè censuerunt Gofred. in dict. §. 1. Pinellus dict. lib. 2. cap. 3. num. 28. Santolaria dict interpretat. 16. num. 9. Esset enim indigna tanto l. Consulto decisio, si cum supponeret de præterito, eum exceptis præstiturum: responderet de instituto, & eum præstare debere certis personis, comprehendens extraneos legatarios in decisione. Deinde refragatur prædictæ expositioni ratio, quam præbet Paulus: *Nam & Prætor hæc ratione eum tuetur, quod ex liberis est, qui contrà tabulas peterè potuerunt.* Debet legata, quia portionem suam retinet ex tuitione Prætoris, quia potuit contratabulare. Ergò illa sola legata præstabat, que præstaret, si contrà tabulas petisflet. Notato, tantum proponi duos filios emancipatos testatoris, alterum præteritum; alterum institutum: nec mentionem fieri coheredis, aut institutionis pro parte. Itaque

Potestas editi  
circajum ab  
sinentem.

Explicatur l.  
si filius 23. si  
quis omis̄a  
causa testam.

Si ex duobus  
emancipatis al-  
ter institutus,  
alter præteri-  
tus sit, institu-  
tus, & si ad-  
eat, solis excep-  
tis præstas.

*Si institutus  
sit ex asse, vel  
ex maiore vi-  
rili.*

*Secus si ex mi-  
nore, & adie-  
rit: omnibus  
tunc præstat.*

*Ratio differen-  
tia.*

*Suo præterito,  
& emancipato  
instituto.*

si nihil detrahamus, adiiciamus litteræ, dicemus, si-  
lium institutum fuisse ex asse. In filio autem institu-  
to ex asse, idem est, & eiusdem effectus, petere bono-  
rum possessionem contra tabulas, ac adire hereditatem;  
quippè utroque casu tantum est latus semissem, quia  
propter præteritum contratabularem as decrescit ad  
virilem portionem dict. l. non putavit 8. §. vlt. Igitur  
adiens hereditatem non magis in effectu confirmat iu-  
dicium patris, quam si peteret ex persona fratris bono-  
rum possessionem contrà tabulas. Hanc rationem ha-  
bet sententia, quæ compluribus placuit, & à Paulo com-  
probata fuit. Sed pone, eodem themate retento, eman-  
cipatum institutum fuisse ex minore parte, quam viri-  
li. Certum est, in ea tantum parte esse tuendum, in qua  
fuit institutus; quippè petità à fratre bonorum posse-  
sione contrà tabulas, non crescit pars instituti, qui ad-  
ivit. Quod si non adiret, sed commisso per alium edicto,  
contratabularet, cresceret in semissem, ut dixi. Igitur  
datà hac hypothesi, diversus animus perspicitur in eo,  
qui adivit; ac in eo, qui petit contrà tabul. Qui adit,  
ideo adit, ut plena fruatur voluntate defuncti, pleno  
institutionis honore, ut non tantum ex testamento he-  
res sit, sed etiam secundum voluntatem defuncti; hono-  
rem lucro maluit præferre, & cum dilectu uti non vo-  
luit beneficio Prætoris. Idcirco omnibus legata præ-  
stat, dict. l. si duob. 14. versic. sed illud. In quo nihil inve-  
nio contrarium;

6. Quinta propositio de promititur ex dict. leg. si  
duo 16. in princip. de legat. præstand. Duo sunt filii, alter  
in potestate præteritus, alter emancipatus institutus,  
qui semoto suo, si suus in rerum natura non esset, totam  
hereditatē patris, etiam ab intestato esset latus. Suus  
præteritus petivit bonorum possessionem contrà tabu-  
las: ipse quidem nulla legata præstat, quia etiam ab in-  
testato rem latus esset, ut dixi in prima propo-  
sitione. Emancipatus institutus, si commisso per fratrem  
suum edicto, petat contrà tabulas, præstat saltem legata  
excep-

exceptis personis. Secùs ac si extraneus fuisset institutus, & emancipatus quoque esset præteritus. In qua cuncta differt hic casus à primo: nam ibi uterque filius præteritus fuit; & cum alius filius non proponatur, per necesse concluditur, extraneum fuisse institutum. Perspecta differentia, inquiramus rationem. Suo præterito, nullum est testamentum, legata nulla præstantur, libertates non competunt: ceterum, si non extraneus institutus sit, sed frater, qui semoto suo ab intestato rem esset latus; est in sui potestate confirmare iudicium patris, si bonis paternis abstinuerit, leg. filio 17 de iniusto rupto. Eritque heres emancipatus institutus ex testamento, competent libertates, & legata omnia præstabit usque ad doctrinam. & forte habebit minus emancipatus, quam haberet, si cum fratre ab intestato succederet. Possimus ergo dicere, in hoc casu voluntatem patris ex voluntate filii pendere. Si dicit nullum testamentum, succeditur ab intestato: si abstinet, valet ad omnia testamentum. Addendi Faber lib. 1. connect. cap. 19. & lib. 9. cap. 14. Pinell. dict. cap. 3. ex num. 30. Igitur si non abstineat, nec iure civili nullum dicat testamentum; sed ex iure prætorio medium viam eligat contratabulandi, omnia geruntur, quæ esse solent, quando petita est bonorum possessio contraria tabulas: ipse quidem suus nulla præstabit legata; emancipatus vero, qui & ipse contra tabulas petiit, præstabit exceptis. Quia suus contratabulando, noluit rescindere testamentum, cum haec bonorum possessio ex testamento sit, §. sunt autem 3. inst. de honor. possess. l. filie 4. C. de collat. honor. sed tantum iudicium, leg. 1. de legat. praestand. Quid vero dicendum erit, si emancipatus ex ase institutus adierit, petita bonorum possessione contraria tabula a fratre suo? In primis Consultus docet, & hunc in parte tenuendum esse, & proculdubio exceptis personis legata præstitur: quod in duobus emancipatis compluribus placuit, vt dixi in 4. proposit. Sed mutato casu de suo præterito contratabulante, & emancipato instituto adeunte, querit Vlpia.

Quavis nullum  
testamentum fit  
mero iure,

Eft in sui potes-  
tate confirma-  
re omnino iu-  
dicium patris  
abstinentia.

Explicatur 1.  
filio 17. de in-  
justo rupto.

Si contratabu-  
let, confirmas  
testamentum,  
quoad emanci-  
patum, qui se  
petit contraria  
tabulas ex perso-  
nasui, præstas  
exceptis.

Si adiit, quan-  
vis ex esse ins-  
titutus, omni-  
bus.

Vlpianus, an omnibus præstitorus legata sit, qui adivit? Respondetque petità à suo contrà tabul. omnibus debere legata emancipatum adeuntem: quia suus tantum in sua portione agit; tantum subducit portionem sibi cōpetentem; de cetero parentis iudicium non vult rescindere: in tantum, ut qui adivit pleno fruatur honore heredis pro sua parte, siue plena fruatur voluntate, ut exposuit Pinellus dict. cap. 3. num. 27. His propositionibus observatis nihil reperitur contrarium in his legisbus.

## CAPVT X.

*S V V M P R A E T E R I T V M  
aliquando præstare legata exceptis  
personis petità bonorum pos-  
sessione contrà ta-  
bulas.*

*Suus præteri-  
tus, si contrà  
tab. petat, non  
debet legata ex-  
ceptis,*

*Quando alio-  
quin successu-  
rus est ab inte-  
stato.*

**I**N leg. is, qui in potestate 15. delegat. præstand. docemur, suum præteritum, et si contrà tabulas petat, non teneri præstare vlla legata adhuc exceptis personis: quia & si contrà tabul. bonorum possessionem non petiſſet, rem esset ab intestato habiturus: cuni suo præterito, testamentum iplo iure nullum sit, leg. inter cetera 30. de liber. & poſth. Ex qua propositione legitimè deducitur hæc consequentia, Igitur si suus præteritus non aliter possit patri succedere, quam per contrà tabulas, tenebitur præstare legata exceptis, ut tene- netur emancipatus. Hæc conclusio confirmatur ratione. Quia si ideò non præstat suus legata exceptis personis, quod inanis est, & contrà lignum bonorum possessio, quam petit: sequitur, teneri ea præstare, quando eā indiget tanquam remedio necessario, siue quo paterna bona ferre non posset.

Exem.

2 Exempla pro illustratione deterrident, & pro corroboratione. Pone, filium suum à primo gradu institutorum fuisse præteritum, à secundo gradu substitutorum fuisse exheredatum; si iure civili agendum est, primus gradus ipso iure nullus est, & testamentum incipit à secundo, l. 3. §. vlt. de lib. & posthum. Ergo ius civile parum in hoc casu prospexit filio superstiti. Cum parui ipsius referat, primum gradum nullum esse, siquidem ut exheredatus ritè removetur à substitutis, l. si filius 75. de hered. insit. l. ex facto 43. §. L. Titius 2. de vulgari. Iure tamen Prætorio non denegatur filio suo, quod extraneo, id est, emancipato conceditur. Itaque si hereditas versatur in primo gradu post mortem testatoris; hoc est si instituti sicut, qui institui iure potuerunt, & vivant, quo tempore decelsit testator: suis bonorum possessionem contrà tabulas petere poterit, l. non putavit 8. §. à primo 5. de contrà tabul. Qui textus indissimilitate loquitur in hac specie, & de suo æquè, ac de emancipato accipi potest; sed distinctè de suo accipit longa disputatio habità post Præceptorem suum Iacobum de Balduno. Gofredus in d. l. non putavit, num. 19. Cuius sententiae accedunt, nescio tamen, an illum viderint, Cuja cius tract. 4. ad African. in l. posthumus 14. de liber. & posthum. noster Valentia, lib. 3. illustrium tract. 1. de liber. & posthum. cap. vlt. ex num. 7. Effectus bonorum possessionis dissimilis est, ac nullitatis ex iure civili. Ius Ciuale nullum facit gradum, nec ultra progreditur; ius Prætorium per suam bonorum possessionem contrà tabulas avocat bona à gradu, contra quem petitur, & in bonorum possessorem transfert, quem loco heredis constituit, l. cū emancipatus 13. de bonor. posses. contrà tab. Vnde bellissimè dixit Goueanus, substitutionem vulgarem spirare, vel adita à primo gradu hereditate, l. post aditam C. de impuber. & alijs substitut. Velpetita contra eum à filio præterito, & à secundo gradu exheredato bonoru possessione contrà tabulas, quæ per predictam avocationem præcludit viam substitutis. Igitur bonorum

Secus si necfaria est ei: velut si à primo gradu præteritus sit, à secundo exheredatus.

Quo casu parum ius civile prospexit filio superstiti.

Explicatur, l. non putavit 8. §. à primo de contrà tab.

Plenius ius prætorium.

Quid bonorum posses. præcludit viam substitutis.

*Ex compara-*  
*tur ruptura*  
*posthumis.*

*Quomodo se ge-*  
*rat lex in po-*  
*sthumis ruptu-*  
*ra.*

possessio contrà tabulas in hac visione , cumdene existum habet , ac posthumis ruptura. Posthumus quippe a primo gradu preteritus , & si à secundo gradu exhereditus sit , nascendo rumpit cum primo gradu totum testamentum , l. 3. §. vlt. cum duabus ll. seqq. de iniusta rupto. Lex enim sic vim suam exhibet , ac si reale factum rumpendi , frangendi , elidendi tabulas applicaretur ab ipso nascente. Ergò qui contratabulat , perinde habetur Praetorio iure , ac si tabulas ipsas effregisset : & sic agens contrà primum gradum , omnes etiam gradus evertit , & antevertit ; licet ab illis ultimis exhereditatus sit. Ecce ubi suo præterito non minus necessaria est bonorum possessio contrà tabulas , quam emancipato. Igitur non minus præstabat legata exceptis personis ille , quam hic. Quod docuit Gofredus in l. quia autem 6. §. vlt. num. 4. si quis omis̄a causa testamenti , ne alienas sententias suffari videamus ; sed non sic fundavit.

*Nepos in po-*  
*testate retentus*  
*iure Praetorio*  
*vertere exclude-*  
*batur à patre*  
*emancipato.*

3 Secundum exemplum delimitur , ex l. 2. de coniungend. cū emancipato liber. eius. Nepos in potestate retentus , & qui primū gradū in familia occupabat per patris emancipationem ; iure Praetorio à patre emancipato excludebatur. Praetor enim sic emācipatis fauet , ac si emācipati non essent : rescindit emancipationem , l. non tantū 3. §. si emancipatus 5. de contr. tab. §. emancipatos iust. de exheredatione liber. Rescisā emancipatione , & considerato filio quasi non emancipato , nepos ab illo præceditur. Igitur ex necessaria consequentia nepos in potestate retentus excludebatur à filio emancipato , eiudemque patre per versus edictum , quo Praetor liberis emācipatis bonorum possessionem contrà tabulas pollicebatur. Itaque hæc prætoria equitas per hanc consequentiam in iniquitatem deflexit : cum sic filio extraneo , id est emācipato faueret , vt nepotem suum , siue quod idem est , primum gradum in familia occupantem excluderet. Quarē hæc durities lenita fuit per novam clausulam editi Saluij Iuliani I.C. & sub Hadriano perpetui editi ordinatoris , vt dicitur ; in l. quiduos 3. de coniungendis cū emancip.

*Nova clausula*  
*Iuliani coniun-*  
*xit eum cum*  
*patre.*

cip. liber, eius, quā fuit cautum, vt nepotes in potestate re-  
tentī coniungerentur cum ipsorum patre, ferrentque  
tantam partem omnes quasi in stirpes vocati, quantum  
ipsorum pater ferat, siue ab intestato unde liber succē-  
dant, siue per bonorum possessionem contrā tabulas ex  
testamento, l. 1. in princip. & §. filio 3. §. int̄r 11. §. si  
quis ex nepotibus 12. eod. tit. Ex quo apparet nepotes in  
potestate retenos, vt coniungerentur cum ipsorum pa-  
tre, & contratabulare possent, indigne Pr̄etoris bene-  
ficio, & nouā clausula edicti Iuliani: alioquin, quan-  
tumvis sui essent, contra patris tabulas agere non pos-  
sent. Quapropter Paulus in d. l. nihil 2. merito conclu-  
dit, debere exceptis personis præstare legata: absurdum  
enim reputat, vt pater præstet, filius non præstet, cum  
vterque eadē conditione, eadē qualitate, eodem  
beneficio ad bonorum possessionem contra tabulas avi  
admittatur.

4 Ex quo subtilliſſimus Primarius noster Co-  
stantī §. & quid sit tantum 3. part. ex numer. 69. per exces-  
sum infert, & si filius pater nepotis in adoptionem da-  
tus sit, vel mortuus, vel exheredatus, quibus in casibus  
nepos solus admittitur, l. 1. §. & in adoptionem 2. §. si  
pater 4. cum seq. eod. tit. cum alijs, & nepos præteritus per  
bonorum possessionem contrā tabulas succedat, debe-  
re præstare exceptis personis legata. Quod tanquam ve-  
rum substineo: & est ratio. Qui à nepos præteritus, si iu-  
re ciuili ageret, non everteret patris iudicium, sed ad  
virilem portionem cum extraneo herede scripto ad-  
mittendus foret per quoddam ius accrescendi princip,  
inst. versic. sed non ita de filiabus, de exheredat. liber. l.  
maximum vitium 4. C. de liber, preterit. Agens verò bo-  
norum possessione contrā tabulas avocabat totam he-  
reditatem ab scripto. Qui à Pr̄etor, qui ex noya clausu-  
la dedit hanc bonorum possessionem nepotibus coniun-  
gendis cum patre, non denegauit illam nepotibus ab  
emancipato patre non præcessis. Et qui à vetus edictum  
non pollicebatur hoc remedium tantum filijs, sed libe-  
ris;

In stirpes.

Tunc debet ex-  
ceptis legata.  
Explicatur, l.  
2. de coiung.

Habet etiam  
idem remediu-  
m quamvis pa-  
ter exhereda-  
tus, vel mor-  
tuus sit.

Iure tamē ci-  
uili tantum ad  
partem ex quo  
dam iure ac-  
crescendi ad-  
mittebatur.

Etcum plenior  
sit bonorū pos-  
sess. præstat le-  
gata exceptis.

ris; quorum nomine nepotes comprehenduntur, l. li.  
berorum 220. de verbis significat. iuncta l. 1. C. de bonor. pos-  
sess. contrà tabul. ibi. liberi. Igitur cum vberius reme-  
diū sit nepotibus bonorum possessio contrà tabulas,  
quām ius accrescendi ex iure ciuili: consequens est, vt  
si illo vi velint, vt tantur cum sua causa, & exceptis le-  
gata præstent.

Prætores in bo-  
norū posses-  
sionib. dandis  
non obserua-  
rent legis or-  
dinem.

Hinc per transīnam noto cum Iustiniano  
in §. ceterum versic. media autem inst. delegit in agnator.  
succēs. illis verbis, alium ordinem suis edictis addiderunt, &  
in §. quos autem inst. de bonorum possess. Prætores in edictis  
suis non observassent ad vnguem, vt dici solet, ordinem,  
quem leges præscriperunt successionibus ab intestato,  
aut remedijs contrà testamenta. Quippè leges ne poti-  
bus præteritis ius accrescendi dederunt, non ius dicen-  
di nullum testamentum, quod ioli filij superstites ha-  
bebant. Prætores verò in danda bonorum possessione  
contrà tabulas nepotēs à filijs nō discreuerunt. Et quod  
magis est, ex iure vetere prætorio etiam filiæ contratabu-  
lare poterant, distinctione sexus explosa; quod pro-  
bat Antonini Pij constitutio, quam refert, & corrigit  
Iustinianus in d. l. maximum vitium 4. C. de liber. præterit.  
per quam remotæ fuerunt ab hac bonorum possessione  
(ergo ante illam gaudebant hoc Prætoris beneficio) &  
iustiæ, vt contestæ portione, quam ex legibus ferre de-  
bebant, de cætero non inquietarent parentis iudicium;  
sed impetrarent pro parte possessorias actiones, tāquam  
scriptæ, cum onere omnium soluendorum legatorum.  
Antoninus autem solum filiabus interdixit petere bo-  
norū possessionem contrà tabulas: de hepotibus ve-  
rò nihil cauit. Igitur nepotes etiam post prædictam  
constitutionem contratabulare potuerunt. Quam do-  
ctrinam non videtur percepsisse Costa, cum ad hanc dif-  
ferentiam non aduerteat.

Institutus ex  
minima parte  
ex persona pro  
pria non potest  
contratabula-  
re.

Prosequamur exempla. Filius siue suus, si-  
ue emancipatus scriptus heres, quantumvis ex minima  
portione, ex persona sua non potuit petere bonorum  
posse-

possessionem contrà tabulas, l. non tantum 3. §. si quis ex liberis 11. l. fiduobus 14. l. sub conditione 18. de contrà tabul. Quæ est insignis, & testatissima differentia intèr hoc remedium, & in officiosi quæ relati: quam institutio re potest nedum exheredatus à patre, sed ex minima parte, id est minore legitimā scriptus, secundum ius vetus, l. Papinianus 8. §. quarta 9. ibi. Heres institutus ideo non potest dicere in officiosum, quia Falcidiam habet, & §. meminiſſe, versic. unde non male, de in officioso testament. Paulus lib. 4. sentent. tit. 5. §. penultimo, & vlt. docent Baldus, in l. pater filium 14. columna 3. versic. sed tunc immedia te, ff. de in officioso testament. quem citat Costa in d. §. & quid si tantum 1. parte ex numer. 5. & cum alijs antiquioribus idem Costa in cap. si pater verbo instituit, 1. part. numer. 15. versic. unus casus est. Donell. lib. 19. comment. cap. 4. D. Larreategui lib. 7. select. cap. 6. à princ. & numer. 4. Quia causa quærelæ non est exhereditatio, sed in officiositas: unde pater, qui verbis institutionis honorat filium minimā parte relictā: re tamē illum exterrat à maxima parte hereditatis, tam in officiosus censetur, quām si omnino illum exheredasset. Faciunt text. in l. 2. infire, l. sed & si 4. l. pater 7. cum similibus, ff. quod cum eo, qui in aliena potest. Quamvis tamē filius institutus ex minimā parte ex sua persona bonorū possessionem contrà tabulas petere non posset; tamē si frater præteritus sit, cōmissio per fratrem edicto, potest contratalulare: & tunc minimā pars in semissim crevit, l. fiduobus 34. §. vlt. l. sed & si 35. de vulgari, l. vlt. §. si filius 2. delegat. 3. cum similibus, iuncta l. non putarit 8. §. vlt. de contrà tabul. Fateor, & tunc potuisse secundum ius vetus filium ex vicia institutum de in officioso patris testamento quæri adverius extraneum heredem institutum, si adiſt; immo & adverius fratrem præteritum contratabulantem, si postquam extraneus adiſt, ipse contrà tabulas petiſt arg. ex l. filium 20. de contrà tabul. quæ loquitur de suo exheredato, cui comparo suum ex minimā parte institutum, ante quam se immisceat. Sed

Quamvis pos  
sit queri de  
in officioso;

Quia in offici  
o se institutus b  
betur pro ex  
heredato.

Sed potest age  
re contratab  
ex persona fr  
tri præteriti

quæ rela in officiōsi testamenti operosa rē est, cum in ea quæ rendum sit iudicio centunivirali de meritis filij, & patris in officiositate. Paratus ergo, & promptius remedium est filio suo ex minima parte instituto, petere contra tabul. quo feret semissim, l. si duobus 14. de contra tabul. Ecce ybi suus institutus ex minima parte ad virilem peryenire non potest, nisi per hoc remedium; ergo in hoc casu non tam utile, quam necessarium est ei. Igitur cum bonorum possessione contrā tabulas indigeat, ita è utri debet, ut præstet exceptis legata: non tantum pro quincunce, qui superaccreuit, sed pro toto semisse; quia totum semissim habet iure Prætorio, & per contra tabul, ut dixi, lib. 3. Opusculor. in d. l. vlt. §. filius 2. de legat. 3.

*Praefabit er-  
jò exceptis le-  
gata.*

## CAPVT XI.

*DE EO, QVI OMITTIT CON-  
TRĀ TABULAS, UT AB INTESTATO POSSIDEAT.*

Ad l. quia autem 6. §. vlt. si quis  
omissa caussa testa-  
menti,

*V* ALDE involuit Gofredus casum huius textus, siue hypothesim, quam in ipso decidit Consultus. Simplicitè, & verè sic propoñenda, & exponenda est. Pater emancipatum filium præterivit, extraneum heredem instituit: legata dedit exceptis personis, & extraneis. Heres institutus metu bonorum possessionis contrā tabulas, quæ parata erat, & prompta filio emancipato præterito, repudiavit hereditatem. Quamvis scriptus repudiet,

*Iheres institu-  
us, qui metu  
bonorum pos-*

dicit, non evanescit effectus bonorum possessionis contrà tabulas, quæ ab initio nata fuit, l. non putarit 8. §. à primo 5. de contrà tabul. Legata incipiunt deberi exceptis personis, non minùs, quam si post aditam ab scripto hereditatem, post confirmatum testamentum, bonorum possessio contrà tabulas peteretur, l. 3. §. vlt. cum l. seq. de legat. præst. Repudiata verò hereditate ab scripto, destitutoque testamento, filius emancipatus consilium iniijt fraudandarum exceptarum personarum, quæ legata meruerant: omissoque bonorum possessione petit ab intestato unde liberi; qui à destituto testamento patris, verum est, eum ab intestato decessisse, l. 1. de iniusto rupto, nisi esset filius, cui competeteret bonorum possessio contrà tabulas. Queritur, an filius debeat exceptis personis legata, ex edicto, si quis omis̄a causa testamenti, qui à repudiavit, vel omis̄it contrà tabulas, & petivit ab intestato? Respondet Consultus, incidisse in edictum, & exceptis teneri præstare legata. In hac specie non est necesse dicere, incidisse emancipatum in sententiam editi, qui à incidunt in verba ipsa: non minus, quam institutus, qui repudiatur, vt adeat unde liberi. Ratio est, qui à vt bonorum possessio secundum tabulas ex testamēto est, sic bonorum possessio contrà tabul. est testamentaria, l. filie 4. C. de collat. bonor. l. 1. §. 1. cum seqq. si tabula testam. nullæ ex tab. §. sunt autem 3. inst. de bonor. posses. vt post Alberticum, & Raphaelem Cumanuni docent Costa in d. §. Quid si tantum 3. part. ex numer. 132. Bened. Pinell. lib. 2. selectar. cap. 3. numer. 13. Ioannes Ronchegallus, in d. §. sunt autem, ex num. 17. pag. mihi 100. Cujac. lib. 3. obseruat. cap. 20. & in alijs multis locis. Ergo emancipatus præteritus, qui, vt fraudet exceptas personas, omittit bonorum possessionem contrà tabulas, vt petat unde liberi, omittit successionem testamentariam, vt succedat ab intestato, quod ipsis editi verbis improbatum est.

2. Prosequamur species, quæ ad hanc partem solent referri. Alia extat in l. si filius 23. si quis omis̄a causa

sessionis contra tab. repudiat hereditatem, babetur pro adeunte. Vt exceptis legata debeat.

Emancipatus, qui iunc non petit contra tabul. incidit in edictum, si unde liberi possideat;

Qui à verò, à propriè bon. possessione testamentaria omis̄it, qualis est contr. tab.

Explicatur, si filius 23. si quis omis̄a causa.

Si testament. Filius in potestate constitutus, item filia; supple in potestate etiam constituta, heredes a patre scripti fuerunt. Filius emancipatus fuit præteritus. Posset sius commissio per fratrem editio bonorum possessionem contra tabulas petere, quia petita; nec pluribus, quam exceptis legata praestaret, d. l. non putavit 8. d. l. si duob. 14. de contraria tabul. Nec tunc incideret in edictum, si quis omisca causa testamenti ab intestato, vel alio modo possideat hereditatem: quia possidens ex contra tabulas, non omittit testamentum, cum haec possessio testamentaria sit. Non etiam incidit in sententiam editi, quamvis videatur fraudare extraneos legatarios: nulli enim fraudem facit, qui suo iure vtitur, l. cum pater 77. §. si Titio 31. delegat. 2. Cum ergo Prætor filio instituto pollicetur bonorum possessionem contra tabulas ex persona fratri præteriti, consequens est, ut vtenis iure communis non incidat in edictum, quod adversus fraudulentos propositum est. De filia videndum est. Illa non posset petere contra tabulas post Antonini rescriptum, de quo in l. maximum vitium 4. C. de liber. præterit. si institutus esset extraneus, sed quasi scripta ad portionem admitteretur ex testamento per quoddam ius accrescendi. Sed contratabulante vtroque fratre, eodem iure vteretur, per tuitionem Prætoris, vel per conservationem virilis portionis ex eiusdem Antonini rescripto, de quo mox dicam. Neque alijs, quam exceptis praestaret legata.

Quod si ablinerant ex testamento bonis, hereditate que paterna, & ab intestato se immiscuerunt. Incidunt procul dubio in edictum, in quod etiam incidunt sui, l. i. §. qui sunt in potestate 7. illo tit. Vnde tanquam si immiscuerint se ex testamento, omnibus praestant legata. Notemus cum in Cujacio, d. lib. 3. cap. 20. non haberi pro contratabulantibus, sed pro adeuntibus: severiusque puniuntur, ut omnibus legatariis, non solis exceptis praestent legata. Reddamus rationem: quia ius immiscendi ex testa-

Suus institutus, commissio per fratrem editio, potest contratabulare.

Nec incidit in edictum.

Ratio.

Filia, contra tabulanibus fratribus, et ipsa contra tabul. petere potest.

Quod si ablinerant ex testamento, & immiscuerint se ab intestato, incidunt.

testamento habent ex proprijs personis: ius contratabulandi, ex persona fratri præteriti. Igitur, qui vti Prætoris beneficio noluerunt, reducuntur ad ius illud testamentarium, quod ex se habebant; non ad illud, quod habebant ex persona alterius, quod etiam omisserunt propriâ voluntate, vt magis causæ testamentariae fraudem facerent. Sic in textu deciditur. De emancipato non sit sermo: quarexrendum tamen est, si destituto per fratrem, sororemque testamento, ipse etiam prætulerit causam legitimam, malueritque succedere per vn. de liberi, quam per contrâ tabulas; an incidat in edictu?

*Et habentur  
pro immix-  
tis, non pro cō-  
tratabulatib.  
Ratio.*

*Emancipatus  
eo in casu, si  
vnde liberi pe-  
rat, non inci-  
dit in editio.*

*Ratio.*

**8. §. à primo 5. de contrâ tabul.** Ergò fraudem facit edicto, qui cum posset ex testamento succedere, maluit ab intellecto heres esse. Nihilominus fortiter defendi potest, non iacidere in edictum: quia legat arijs fraudem non facit: tunc enim exceptis personis debentur legata, quando repudiatur hereditas ab extraneo metu bonorum possessionis, quâ petitâ, nihil latus erat ex hereditate. At sui voluntarie repudiant, quos metus hic terrere non potest; nihil enim plus, quam virilem portionem ipsis auferre posset præteritus. Ergò destituto per alios testamento, suo iure usus fuit emancipatus, nec est ratio, cur ex fratum odio prægravetur. Sed qui meliora attulerit, facile me habebit sequutorem.

**4 Tertia species extat in leg. si sub conditione 5. de bonor. poss. secundum tabul. quam licet exponant, Pinnellus in dict. lib. 2. cap. 3. num. 32. & 33. Gofredus in dict. leg. quia autem 6. §. hoc edictum, Cujac. in leg. 1. §. penult. si tab. testam. nulla extab. & in l. sed & si 10. §. non omnia, de legat. præstānd. & Nos elucidabimus, vt aperiūs mens Vlpiani innotescat. Proponitur institutus emancipatus filius, vel alter ex liberis, qui bonorum possessionem contra tabulas petere potuit, sub condi-**

*de superi  
ordine 32.*

*Explicatur. I.  
si sub condi-  
tione 5. de se-  
cundum tab.*

**L** **tione**

*Emancipatus  
recte institui-  
tur sub condi-  
tione casuali.*

*Pendente con-  
ditione, potest  
interim petere  
secundum tab.*

*Quæ converti-  
tur in contrà  
tab. defecta cō-  
ditione.*

*Vtraque est  
xtestamēto,*

*Et præcludit  
viam successio-  
ni legitimæ.*

tione non potestativa, veluti si naris ex Asia venerit, recte emancipatus sic instituitur, suus non ritè institueretur sub conditione, quæ non est in eius potestate, si filius esset, leg. suis 4. de heredib. inst. recte institutus sub conditione, potuit interim petere bonorum possessio- nem secundum tabulas sine re, leg. & quissimum 2. §. si sub conditione, l. h. idem 6. de bonor. possessione secundum tabul. In quo non immoror, videndum est Bartholomæus Chelius lib. 1. interpret. cap. 11. addendus etiam Petrus Fab. in leg. quoties 91 in fine, de regul. iur. Testator, cum time- ret, defecta conditione, successionem ab intestato esse deferendam, à quocunque successore legitimo fidei- commissa dedit tam exceptis personis, quām extra- neis. Hæc est, quæ dicitur clausula codicillaris, de qua egil lib. 4. Opusculor. ad notas Claudiij in leg. nec fideicommissa 3 6. delegat. 3. Filius emancipatus petiit bonorum pos- sessionem secundum tabulas pendente conditione. Quo præclusit propterea viam legitimæ successioni. Quia si impleretur conditio, convertebatur in bonorum pos- sessionem secundum tabulas cum re. Si conditio defi- ceret, convertebatur in bonorum possessionem contra tabulas ipso iure l. 3. §. si quis ex liberis 11. & §. sed & si 14. de bonor. possess. contra tabul. Altera est secundum iudicium defuncti, quod confirmat; altera est contrà iudicium, quod retcindit, l. 1. delegat. præstad. Sed vtraque est ex testamento, dict. §. sunt autem 3. inst. de bonor. possess. Et pariter vtraque facit, ut non sit locus successioni legiti- mæ, quandiu vel secundum, vel contrà tabulas bono- rum possessio peti potest, leg. 1. §. 1. & seqq. si tabulæ testam. nullæ extab. Potuit itaque scriptus filius emaci- patus tibi conditione, ea pendente, non petere bono- rum possessionem secundum tabulas sine re; quā non petita, & defecta conditione successurus erat ab intestato per unde liberi, sed debebat omnibus tam excep- tis, quām extraneis fideicommissa ab intestato reliqua. Potuit & petere bonorum possessionem secundum ta- bulas sine re; quā petita confirmavit in omni eventu sicut.

successionem testamentariam: quare defecta conditio-  
ne, & conuersa bonorum possessione in contrâ tabulas,  
exceptis tantum debebat legata. Eccè casum, in quo  
fraudulentè omittitur successio ab intestato, ut ex  
testamento succèdatur. Ex quo concludit Vlpianus ex  
sententia editi, si quis omissa, &c. filium huic eman-  
cipatum primò, & ante omnia teneri præstare fidei-  
commissa omnibus ab intestato relista, quibus fraudem  
fecit; teneri de reliquo etiam præstare exceptis lagata  
in testamento relista: quia ipse suo factò voluit contrâ  
tabulas succedere.

5 Sequuntur illa verba, quæ immerito nonnullis ne-  
gotium fecerunt: Cæteri vero, quasi ab intestato. Et idèo filius  
liberis, parentibusq; legata relicta solis præstare cogetur, cæteris non.  
In primis existimant, verbum cæteri de alijs etiam  
filijs emancipatis accipiendum esse. Quod negamus,  
quia, ut Grammatici fundabunt, quibus hanc provin-  
ciam relinquimus, hoc verbū significat cæteros succes-  
sores legitimos, præter liberos, quibus bonorum pos-  
sessio contrâ tabulas cōpetit. Deinde argumētantur; cæ-  
teris non cogetur filius emancipatus, qui eligit petere  
secundūm tabulas, præstare legata. Ergò fideicommissa  
ab intestato relista non debet. Perversa consequitio:  
quia sensus est, defecta conditione, cæteris non debet  
legata ex testamento, sed tantum exceptis: ab intestato  
vero fideicommissa relista omnibus fraudatis præst-  
abit. Sed quæres, cur cæteri successores ab intestato,  
quos in petitâ bonorum possessione tuetur Prætor,  
quanvis deficiat conditio; non præstant saltem excep-  
tis personis legata? Facile respondeatur, quia respectu  
cæterorum, qui non sunt ex liberis, non potest conver-  
ti bonorum possessio secundūm tabulas in contrâ tabu-  
las; sed convertitur per tuitionem Prætoris in unde le-  
gitimi, vel unde cognati. Quæ ab intestato sunt. Ergò  
nulla possunt debere legata relista in testamento.

6 Postrema species sic potest efformari. Pater præ-  
terivit filium emancipatum; extraneum heredē scrip-

Et sit fidei-  
per eam fidei-  
commisssis ab  
intestato reli-  
ctis.

Ideo debetur,  
et potiora sūt  
legatis excep-  
tarum.

Cæteri succe-  
sores ab inte-  
stato, præter  
liberos, defe-  
cta conditio-  
ne rem possi-  
dent ab inte-  
stato;

Ideo excep-  
tis non debent le-  
gata ex testa-  
mento.

sit; & metuens, ne successio ad intestatum devoluereatur, fideicomissa ab intestato reliquit à quocunque herede, vel bonorum possessore. A præterito nominatim non posset relinquere fideicomissa, & si ad ipsum legitima hereditas perveniret, l. 2. de legat. 3. Sed cum ab solutè fideicomissa ab intestato relinquuit, etiam præteritus ea præstare tenetur, si ab intestato heres est, ut rectè docuit Pinellus dicit. lib. 2. cap. 3. ex num. 33. Heres extraneus metu bonorum possessionis contrà tabulas repudiavit testamentū; quo nata fuit hæc bonoru possesso, & legata exceptis personis cæperunt deberi, leg. 3. §. vlt. cum l. seq. de legat. prestand. Præteritus, cum videret destitutum testamentum, omisit contrà tabulas, & petivit unde liberi. Incidit proculdubio in editum si quis omissa causā testamenti, ut dixi in princip. huīus cap. Videamus modo, quæ legata, fideive commis- sa, & quibus personis præstiturus sit? Et in primis de toto dodrante, qui potuit legatis, & fideicommissis ab sumi, satisfacere debet exceptis personis, quibus debe ret petità bonorum possessione contrà tabulas; quia omittendo eam his fraudem fecit: quamobrem potiores sunt. De reliquo debet satisfacere fideicommissarijs ab intestato: quia propria voluntate hunc ordinem succedendi elegit, cum posset succedere ex testamento per contrà tabulas. Semper tamen retinebit quadrantem ex lege Falcidia. Hic ordo præscriptus invenitur in leg. quia autem 6. in princip. si quis omissa causa testam.

*Explicatur 1.*  
Quia autem 6.  
in princip. si quis  
omiss. causa  
testam.

Qui textus valde confirmat speciem proximè præcedentem, in qua è convertio diximus, cum,  
qui ab intestato succedere debuit, si  
prætulit succedere ex testamento,  
debere exceptis legata, quia tua  
spontè elegit ordinem il-  
lum succedendi.

## CAPVT XII.

QVÆ SIT VIRILIS PORTIO,  
qua exceptis ex legatis, & ex institu-  
tionibus conservatur

**Q**VANTA sit virilis portio, quæ ex edicto legatarijs, exceptis perfonis, conservatur, diffinit disserte Vlpianus in leg. virilis 8. de legat. præstandis. Tantam partem ferunt omnes legatarij exceptæ personæ, quantam is, qui bonorum possessionem contratabul. petivit. Si sunt duo, qui contrâ tabulas petunt, vñusquisque tertiam partem fert, & toridem vncias legatarij. Id est, vñus triens dividitur inter legatarios: & singuli filij emancipati singulos ferunt trientes. Ne plus habeant omnes exceptæ personæ, pro vna persona computata, quam singuli liberorum, qui perierunt bonorum possessionem contratabulas patris. leg. nam secundum 7. de legat. præst. Idem dicendum est, de institutione exceptarum personarum; quippè si aliquibus exceptis legata relicta sint; aliquæ etiam ex exceptis perfonis sint institutæ: portiones hereditatis, & legata non possunt exceedere virilem partem, quam is, iij ve, qui contra tabulas petunt, ferre debent. Ita merito centent Duarenus ad tit. de legat. præst. cap. 2. Santolaria interpretat. I. Consultor selecti iudicij, cap. 16: Quæ sententia habet fundamentum in dict. l. virilis 8. §. si quis ex liberis 1. vbi ad virilem reducitur institutio cum legatis vnius, eiusdemque exceptæ personæ. Ergo idem dicendum est, de institutione, & legatis relictis pluribus exceptis.

Divisionem hanc provenisse ex rescripto Imperatoris Antonini Pij, probat mihi Juliani locus in leg. Salvius 6. eod. tit. de legat. præstand. vbi extat Salvij

Omnes legatarij ferunt tantam partem, quam sanguini contrabulantes.

Et instituti, si ex exceptis sint.

*Huius virilis  
portionis con-  
seruatio prove-  
nit ex rescripto  
Antonini Pij.  
Explicatur. I.  
Salvius, & I.  
seq. hoc tit.*

Aristonis epistola ad Salvium Julianum, quā in hac spēcie; qui patrem habebat, & filium emancipatum, patrem ex semisse, extraneū ex alio semisse heredes scripsit; filium emancipatum præterivit, & patri instituto ultra semissē hereditatiū legatum dedit; tam amplum fortassis, vt in ipso legato plus esset, quām in semisse: petitā contra tabulas à filio, quid esset patri ex edicto conservandum, rogavit? Responditque Julianus, sepè animadvertisse hanc partem edicti, quibus Prætor conservat legata exceptis, habere nonnullas reprehensiones. Alias omittit, vnam exponit: quod si exceptæ personæ legatus sic dodrans, plus habebit legarius, qui ex liberis non est, qui bonorum possessionem contra tabulas petere possunt, quām ipse bonorum possessio, qui alioquin plus iuris habet. Petit itaque decretum, quod iniuriam hanc temperet; & constitutat, vt excepta persona, exceptæve plus non ferant, quām virilem portionem. Hoc consilium Juliani exequutum fuit Antoninus Pius, qui Adriano successit, per rescriptum emissum ad Tuscum Fuscianum Numidiæ Legatum; non tantum in legatis, sed etiam in portione hereditatis datā exceptæ personæ. Et forsam hæc fuit alia reprehensio edicti à Juliano excogitata: si enim legata conservantur exceptis: cur portiones hereditatis conservandæ non erant; quæ pleniore honoris titulo, & benevolētiæ demonstratione relinquuntur. Moycor. quia Julianus sæpiissimè scripsit, idem probandum in portione hereditatis, quod in legato. Et eius sententia rescripto confirmata fuit eiusdem Imperatoris. Ergo utraque fuit animadversio Juliani, tam de conservatione portionis hereditariæ, quām de modo portionis, & legatorum. Quod utrumque prædicto rescripto stabilitum fuit. Et sic accipio text. in leg. filium 5. §. sed & portio 6. & in l. nam secundum 7. eod. tit.

3. Ioannes Bertrandus de Iurisperitis lib. 1. in Juliano, & lib. 2. in Aristone existimat, Salvium Julianum consuluisse per epistolam Aristonem, egregium Iurisperitum,

perifum, quem ampliter laudat Plinius lib. 8. epistolar. Conformius enim rationi est, & similius vero, iuniorum Julianum consulu iste seniorem Aristonem, quam è converso. Et ita invertit lectionem principij, *salvius Julianus Aristoni salutem*. Cujacius vero nihil mutat; putat enim tam Aristonem, quam Julianum, Salvios fuisse appellatos. Et utrumque Synchronum fuisse, id est, coæcum. Ego Cujacio assentior: quia de his rebus valde curasse Julianum ex duob. testimonijs suprà adducti, sliquito constat. Et quia Pius rescripto dicitur confirmasse, quod de hac re sepiissime Julianus scripsérat; non quod Aristó. Et quia text. in dict. l. 6. defumitur ex lib. 23. Digestor. Juliani, nunquam vero in libros alicuius I. Consulti referebat ipse, neq; retulerunt Copilatores, id, de quo quærebat, sed quod respondebat, aut dicebat. Ut perspici poterit ex epistolis iuris, quas in tres libellos contulit; & seorsim publicavit, scholijs additis, Ioannes Raymundus Tolosas; in quorum secundo pag. mihi III. & seq. ita textum dividit, ut primam interrogationis partem det Salvio Aristoni; secundam vero responsionis Juliano ex illis verbis, sèpè animadvertis. Quod leve est, sed mihi instar piaculi videtur etiam in levibus à receprà littera recedere. Ex quo primo apparet, ad hanc inspectionem reduci non posse, ut reducerebat Ioannes Raymundus in scholio ad predictam epistolam. textum in leg. virilis 145. de V. S. quæ docemur, virilis appellatione nonnunquam totam hereditatem contineri. Non est quippe locus rescripto D. Pij, nisi ad minus duas personæ dentur, altera ex liberis, qui possunt petere bonorum possessionem contratabulas, & quæ cù effectu petat: altera ex exceptis, quæ instituta sit. Neque enim dari potest conceptus virilis portionis conservatae, nisi sit, qui rescindat iudicium. Verius ergo est, accipiendum esse de capite legis Papiæ, secundum quod si libertus maior centenario, id est, qui plus, quam centum sextertiūm in bonis habebat, cum liberis descesserit, virilis pars ad patronum spectabat. Vopianus lib.

Diversa eß à  
virili Patroni  
in bonis liberti  
centenario ma  
ioris.  
Explicatur I.  
virilis 145.  
V.S.

lib. singul. regular. tit. 29. §. licet 3. qui locus valde depravatus videtur librarioru*m* incuria. Dissertiu*s* Iustiniianus in §. sed postea, & ibi Theophylus, inst. de success. libert. Igitur si cum duobus decesserit, erit virilis portio triens, si cum uno, erit lemis: quod si decesserint, vel heredes esse noluerint, totus as recurrat ad patronum: & in hoc casu vice virilis fungitur, ut recte exponit Cujac. in dicta leg. 145. & approbat magnus, & illustrissimus Praeceptor meus D. Ramos in M. S. ad ll. Iuliam, & Papiam 2. part. cap. 2. num. 3. qui doctrinam hanc apprimè fundat, licet videatur ei refragari text. Iustiniiani suprà ad ductus, in quo imponari non expedit, ne à lineis abeat.

Falcidia non concurred cum virili ex hoc rescripto.

3. Secundo inde etiam appetit petità bonorum possessione contrà tabulas nō posse queri de lege Falcidià, L. Falcid. ipso iure resedat legata, quadrantē relinquit heredi, dōrantē reservat legatarijs, leg. lineam 26. ad l. Falcid. cum similib. Rescriptum Imperatoris Pij, petità bonorum possessione contrà tabulas, exceptis personis solum relervat virilem portionem. Ergò quantumvis sint plurimi filii emancipati, qui petant contrà tabulas, non potest considerari casus, in quo poni debeat Falcidia à contratabulantibus cum legatarijs. Finge, emancipatum omisssive contrà tabulas, ut ab intestato hereditatē possideret, cum ex testamento legata, & ab intestato relictā fuisserent fideicommissa iuxta superiores species expositas cap. proximo. Primo virilem præstabit legatarijs exceptis, aliamque virilem retinebit, de hac præstabit fideicommissa extraneis, & cum his ponet Falcidiā. Pone è converso, contrà tabulas possidere, quam debuit ex mente defuncti hereditate in ab intestato possidere. Primo præstabit fideicommissa ab intestato, cui ordinis succedendi fraudem fecit: postea de eo, quod superfuerit, exceptis præstabit legata, ita ut semper quadrantem Falcidianum retineat: quod si non adeo sit hereditas gravata, nunquani ferent legatarij excepti plus, quam filius. Minus aliquando ferent: si

octo vnciae, aut septem consumptæ sint in fideicommissis ab intestato relictis: quia dōdrans semp̄ remanet apud eum, qui convenitur ex sententia, vel ex verbis edicti, si quis omissa causa testament. l. i. §. ad eos 2. ad leg. Falcid. nec minus, quam dōdrans apud filium potest remanere: & sic int̄ exceptas personas diuideatur duæ vnciae, vel vna, quæ supersunt.

6 Vnde exponendus est difficilis, & vexatus text. in l. filium 5. §. is autem 8. de legat. præstand. In primis quærit de excepta persona, quæ heres fuit instituta ex portione hereditatis, cui portio hereditatis conservatur, inquit textus; an si adeat hereditatem, & confirmet iudicium defuncti, teneatur præstare legata omnibus, tantum exceptis personis? Respondet Ulpianus, exceptis tantum esse præstanta. Pinell. d. lib. 2. selectar. cap. 3. ex num. 26. variè, valdeque se torsit in huius loci expositione; quia non distinguebat int̄ liberos, qui contrà tabulas petere possunt, commissio per alium edicto; exceptasque personas, quæ neque per alium possunt contratabulare. Illi, si adeunt, nonnunquam præstant omnibus: isti, & si adeant, nunquam præstant extraneis, quod agnouerunt Gofredus, & Santolaria, d. interpretat. 16. num. 12. Inquiramus rationem; quæ non est difficilis. Heres scriptus, qui adit, ex minori parte, quo casu emancipatus præstat legata, retinet suam portionem perturbationi Prætoris, ut dixi suprà pro expositione, l. is, qui in potestate 15. cum alijs: tuitio verò ita operatur, ut non patiatur Prætor rescindere illud iudicium, aut pro illa parte, in qua scriptum tuetur. Ergo si ex minori parte scriptus, qui indicium dedit approbandæ voluntatis adeundo, voluit se ex testamento obstringere omnibus legatarijs; Prætor, qui additionem ipsius tueretur, nec patitur rescindi, non potest efficere, ut videatur contrà iudicium defuncti succedere. Ast, cum excepta persona scripta est, quæ contrà tabulas petere non potest, resciso iudicio, quasi ex iudicio, ex postestate potius rescripti, quam ex voluntate testatoris, quæ iam re-

Exponitur, l.  
filium 5. §. is  
autem 8. de  
legat. præst.

Quid distet  
tuitio à conseruatione?

cisa erat, conseruatur ei portio; eo modo, quo conser-  
vantur legata legatarijs; vt dixit Santolaria, non quia  
portio capiatur iure legati, potius enim capitur iure he-  
reditario: sed quia non capitur ex iudicio defuncti; sed  
ex rescripto: & sic in modo consequendi non differt por-  
tio à legato. Quarè cum bonorum possessio contrà ta-  
bul. detur ad avocandam totam hereditatem, & si ex-  
cepta persona scripta sit: vt postea ipsa portio conserva-  
tur, quasi à filio præstāda, aut quasi ab ipso ad exceptam  
personam perveniens; conseqens est, vt perveniat ad  
exceptam personam eo iure, quo resideret penes filium  
contratabulantem, si excepta persona non esset institu-  
ta, sed extraneus. Atqui filius, quia rescidet iudicium  
patris tantum liberis, parentibusquè præstaret. Ergò &  
excepta persona non debet alijs legata præstare. De li-  
bertatibus alitèr sensimus, superioris tract. cap. extremo.

**Quod nō præ-  
stat extraneis, cedit lu-  
cro exceptariis  
personarum.**

**Quo in sensu?**

**Non ex iure  
accrescendi,  
quod cessit in  
hoc editio.**

7 Cum ergò non teneatur præstare legata  
extraneis, infert rectissimè Vlpianus, cedere lucro ex-  
ceptarum personarum, quod non præstat extraneis. Hinc nonnemo argutè inferebat, imò solide, cùm asser-  
tiones ex hac parte edicti depromptas propugnavi. Er-  
go locus est iuri accrescendi intèr extraneos legatarios,  
& coniuctos, si ex exceptis sint personis. Quod negauit  
ex l. sed & si mortis 3. §. sed & si 3. de legat. præstand. Insta-  
bat sic. In hoc edicto non est locus Falcidiæ, quod Nos  
asseverabamus. Non alitèr potest prodesse exceptis,  
quod non præstat extraneis, nisi propter Faicidiæ, iuxta speciem text. in l. & si contratabulas 35. de vulgari.  
Vel propter ius accrescendi. Ergò negatæ Falcidiæ, non  
potest negari ius accrescendi. Postulat bipartita hæc ar-  
gumentatio, vt vi ramque positionem explicemus. In  
primis non esse locum iuri accrescendi, probatur ex te-  
timonio supra relato, quod dissertum est, ex iuriisque  
ratione. Quia ius accrescendi provenit ex tacita volun-  
tate testatoris, eiusque iudicio; qui coiungendo vtrum-  
que legatarium respectu re legatæ, tacite voluisse cen-  
setur, vt deficiatis portio recurreret ad collegatarium  
potius

potius, quād ad heredem, l. coniunctim 80. l. reconiuncti  
 89. delegat. 3. l. triplici 142. de verbis. significat. §. si eadem  
 res inst. delegat. vt vulgo notatur. At coniunctus ex exceptis non perit legatum ex iudicio, quod recisum est, l. r.  
 delegat. præstand. Sed ex hac parte edisti, quā Prator editi auctoritate conseruat legata certis persois. Ergo  
 frustra ius accrescendi prætenderet resciso iudicio. Ita  
 post alios, expressiū raniēn alijs, idem magnus. & Illu-  
 strissimus Praeceptor meus, in M.S. de iure accrescendi ca-  
 pit. 1. numer. 7. & 25. & cap. 4. numer. 26. Deinde non  
 negarem, exceptam personam, cui hereditatis portio  
 conservatur, posse ponere Falcidiam cum legatariis iti-  
 dem exceptis. Neque enim militat eadem ratio in hoc  
 casu, ac in liberis potestibus contratabulas. Quoniam  
 contratabulantibus concessa est per rescriptum virilis  
 portio, quæ æqualis est omnibus legatis, & portionibus  
 relictis exceptis personis; ex quo Falcidiā non indi-  
 geunt. Portio verò exceptæ personæ non exequatur cum  
 legatis nominatim ab ea relictis, neque rescriptum vi-  
 lum habemus, quod virilem præbeat exceptæ institutæ  
 cum suis legatariis. Ergo si haec portio exhausta, vel gra-  
 uata sit, ponet Falcidiam, vt quicumque coheres graua-  
 tus arg. ex l. vel singulis 77. l. quod si alterutro 78 ad leg. Fal-  
 cid. Et sic quod non præstat extrancis, proficit exceptis  
 propter Falcidiam.

8 Denique aliam subtilem, difficillimamque  
 consequentiam deducit Vlpianus. Igitur ita demum, quod  
 extraneis non præstat, communicatur cum eo, qui contrâ ta-  
 bulas petit, si non legatariis liberis, parentibusque dandum sit.  
 Certum quippè est, libertates, quæ non competitunt  
 petitâ bonorum possessione contrâ tabulas, lucro cede-  
 re filij, qui eam petivit, nec partem seruorum pertine-  
 re ad exceptam personam, cui portio conservatur. Qui à  
 licet titulo heredis retinet bona, non retinet iure adi-  
 tionis, nec propriè tanquam heres; sed vt accepta ab ip-  
 so filio contratabulante, l. hi, quibus 23. delegat. præstand.  
 Ex qua idem infert ad legata in testamento relicta Go-

Rōio.

In aliquo sēcē  
 proficit prop-  
 ter Falcidiē.Quæ extra-  
 neis non dan-  
 tur, pertinente  
 ad filios, qui  
 contrâ tabu-  
 las petunt.Explicatur, l.  
 hi, quibus 23.  
 hoc tit.

fredus ibi, & mēritō. Quiā portio hēc conservata est limitata, & taxata; quæ si maior est virili, decrescit ad virilem: si est minor, non augetur, d.l.filium s.l.ad eum 7. eod. tit. sic intelligendis. Ergo libertates, quæ non competunt servis, legata, quæ non prēstantur extraneis, non possunt accrescere exceptæ personæ, sed cum reliquis bonis deferuntur filio contrà tabulas petenti. Hoc tamèn verum putat Gofredus, cui assentior, in libertatisibus, legatisque ab omnibus ex heredibus datis simpliciter, & absolutè; vel in datis nominatim ab extraneo herede; nō tamèn in illis, quæ relicta fuerunt nominatim prēstanta ab excepta persona: quæ si repudientur, vel desinant deberi, non est ratio, ut ad filium recurrant; si quidem non recurrerent ad extraneum heredem, si bonorum possessio contrà tabulas petita non fuisset. Ergo nullus casus est, in quo legata non prēsta extraneis cōmunicanda sint intèr filium, & exceptam personam. Multa hic asserunt Accursius, Gofredus, Cujacius, &

*Nisi ab ipsa  
excepta perso-  
na relitta sint:* Gothofredus. Ego verò retentā Gofredi sententiā, quam verissimam reputo, dicendum existimo; regulatèr penè exceptam personam residere legata nominatim ab eo relicta prēstanta extraneis. Quòd si portio maior sit virili, quæ exceptæ personæ relicta fuit, ea que fuisset onerata legatis extraneorum, & exceptarū. Quæ exonerata fuit propter legata non prēsta extraneis: quod superest, quod excedit, communicandum est, si uè particundum cum filio, ut non minus ferat, qui contratabulavit, quām excepta persona: hoc ita, si solutis legatis liberis, parentibusque plus sit in portione conservata, quām debet esse virilis, quæ exceptæ personæ conservatur. Ita quidem censeo, de §. is autem 8. d.l.filium s.

*Exponitur, l.* 9 Sed repeto, & inculco, quod dixi, post rescriptum D. Pij non posse queri de Falcidia intèr contratabulantem, & exceptas personas. Opponitur tamèn textus, qui plurimis pro contraria opinione expressus videtur, in d.l.filium s. §. si legata s. in quo doce-

mur, si legata relicta sint exceptis personis pariter, & extraneis; petaturque bonorum possessio contrà tabulas: proficere exceptis in ponenda ratione legis Falcidiæ, quod non prestatur extraneis. Verbi gratia. Portio exhausta fuit, quia ultra dodrantem legata relicta fuerunt: si omnia præstarentur, locus esset Falcidiæ: sed quia extraneis nihil præstatur, remanet penes heredem exonerata, siue integræ, & si præstet exceptis. Igitur petitæ contrà tabulas locus est Falcidiæ. Respondeo, non loqui Vlpianum de legatis præstandis ab ipso filio, qui petij: contra tabulas; sed paucis interiectis, quæ ex occasione decidit in duobus §. antecedentibus, prosequi materiam, quam instituerat ex *in principio legis, & in §. 1.* nempè delegatis relictis à substituto pupillari, & à filio impubere instituto, quæ agitur etiam *in l. ex duob. 34. §. vlt. l. & si contrà tabul. 35. de vulgari.* Regula est: petitæ bonorum possessione contrà tabulas, valere omnia legata in tabulis pupillaribus à substituto relicta, sine differentia extraneorum, vel exceptarum personarum. Secunda regula est: si ab ipso pupillo legata relicta sint in principali testamento, tam exceptis, quam extraneis, deberi à substituto tanquam *es alienum, quæ pupillus debuit, l. in ratione 11. §. quod vulgo ad leg. Falcid.* Ergo solis exceptis debebit, extraneis non debebit. Secundum quæ augetur hereditas substituto duplice ex capite. Primo quia institutus ex minore parte nactus fuit semiseni commissio per fratrem edicto, & petitæ contrà tabulas. Loquitur enim de instituto, cum non possit loqui de exheredato, cui contra tabul. non competit, *l. nō putavit 8. de contratabul.* Deinde quia semis ille exoneratus fuit in persona pupilli legatis extraneorum. Vnde infert, pleniora legata præstiturum substitutum exceptis, propterea quæ non præstat extraneis: quia & pupillus ipse sic præstaret. Pone, filium ex quadrante institutum, totum absuniptum fuisse legatis extraneorum, & exceptarum personarum. Si adiisset, omnibus præstaret, & cum singulis poneret Falcidiæ. Petivit contrà

tabulas, & non præstat extraneis, sed virilem partem consequitur, virilis reseruatur exceptis solis ad minus: maior portio est v. irilis, qui est triens, si sint duo filii contrabulantes, quām pars, quā adita hereditate ex quadrante institutionis remansura erat exceptis personis. Ergo crescunt legata propter contrā tabulas, quia crescit portio hereditatis, ex qua præstanta sunt tam ab ipso pupillo, quām ab ipsis substituto pupillari. Unde in contrario casu ducit, si filius non fuisse et heres institutus ex minori portione, sed & ex asse: & præteritus petierit contrā tabulas, per quam semissim auferat hereditati scripto: resecari legata pro illa parte, quā ablata fuit, l. filium 20. §. legata, de contrā tabul. Igitur nec substitutus plus debet, quām debuit iustitus. His positis, eleganter de Falcidia à substituto deducenda potest quāri. Fine, a pupillo instituto ex semisse multa fuisse relicta legata exceptis, extraneisque; item à substituto pupillari: pupillum, commisso per fratrem prætericu[m] edicto, petisse contrā tabulas: quo exoneratus fuit legatis extra-neorum: nondum solutis legatis pupillum decessisse: & sic exoneratam portionem pervenisse ad substitutum, qui alioquin de suo teneretur principalibus legatarijs satisfacere, l. in ratione 11. §. quod vulgo ad leg. Falcid. iuncta expositione Goucani, Donelli, & Osualdi, lib. 8. comment, cap. 23. nostri Valentie, lib. 1. illustr. tract. 1. cap. 6. in hoc calu petitio bonorum possessionis contrā tabulas proficit exceptis, quoad Falcidiam, ut integra forsitan legata consequantur, qui alioquin diminuta consequentur, si omnibus præstanta essent legatarijs. De

expositione principij d. l. filium 5. egi ex professo

lib. 3. Opuscul. ad lib. singularem qq. Scœuole  
publicè tractatarum in l. vlt. §. filius 2.

¶ seq. de legat. 3. quare in  
præsentii agere su-  
percedeo.



## CAPVT XIII.

**D**E ALIA, DIVERSA QVE COM-  
putatione virilis portionis, quoad hanc par-  
tem edicti. Secundum exponitur Try-  
phonini textus, in l. vlt. de cō-  
iungendis cum eman-  
cipato.

**N**ON NQNQVAM ad virilis portionis computationem admiscetur rescriptum Imperatoris Antonini Pij cum noua clausula edicti Iuliani de coniungend. cum emancipato lib. eius. Sic appellatur hoc edictum in l. qui duos 3. eod. tit. Ex vetere edicto filius emancipatus præteritus, ex quo nepos retentus erat in avi potestate, sic, rescisæ emancipatione, admittebatur, ut nepotem occupantem iam primum gradum in familia excluderet. Iulianus verò non sic præcellere voluit ius Prætorium, vt ius ciuile everteretur: admisit, coniunxit ergò nepotes retentos in potestate cum eorum patre præterito emancipato, in stirpes, non in capita: vt tandem pater ferret, tandem eius nepotes. Siue quod idem est, portio, quæ ad patrem pertinebat per bonorum possessionem contrâ tabulas, diuidebatur intèr ipsum, filiosque, qui remanerant in potestate avi. Quæ computatio exponitur, in l. 1. §. filio 3. §. intèr 11. §. si quis ex nepotibus 12. Galij de coniungendis cum emancipato lib. eius.

**2** Secundum quam suppositionem manifestanda est species Tryphonini in d. l. ultim. Pater duos filios in potestate habebat, alterum retinuit in potestate, alte-

Computatio  
virilis, quan-  
do rescripto ad  
mischetur no-  
va clausa Iuliani de con-  
iungendis.

alterum emancipavit: emancipatus, vxore ducta, filium suscepit. Hic nepos nunquam fuit in avi potestate: quare neque ex liberis est, qui bonorum possessionem contrà tabulas petere potest, l. filium 5. §. omnibus 2. sic intelligendo, de legat. præstand. Neque posset coniungi cū patre suo etiam emancipato, l. i. §. si pater 6. l. qui duos 3. de coniung. cum emancip. l. si quis 5. §. sed & si filium 1. si tabula test. nullæ ex tabunt. tantū enim coniungitur cum emancipato nepos, qui in potestate avi retentus est, vt dixi. Pater ergo, vt prosequamur speciem, heredes instituit filium in potestate retentum, & nepotē ex emancipato filio procreatū, & præterivit filium emancipatum. Filius emancipatus pétivit bonorum possessionem contrà tabulas. Ex quo facto respectu nepotis duæ quæstiones orientur. Prima est, an huic nepoti ex emancipato filio suscepto conservanda sit portio hereditatis? Hæc post rescriptum Pij nihil difficultatis habet, idèo missam facit Tryphoninus. Secunda quæstio est, quota sit hæc portio, quæ nepoti huic conservanda est? De qua incipit operosè quærere, & vt ingenuè fatear, suboscurre. Idem est quærere quota sit virilis portio huius nepotis, acquærere quanta pars sit ei conservanda? Virilis portio pétitā contrà tabulas, est equalis cum filijs contra tabulantibus, vt supra dixi: ergo virilis portio erit tertia pars totius hereditatis, siue triens. Quod censuerunt Accurs. in d. l. vlt. verbo *virilis*, & Gofredus num. 2. & 3. qui audet dicere doctrinam huius Glossæ substantiendam esse usque ad effusionem sanguinis, assentiturque Anton. Faber lib. 10. conjectur. cap. 17. Per contrarium idem Accurs. verbo *retentus* tradit, nonnullos veteres sensisse virilem in proposita specie esse quadrantē: nem pè illam portionem, quam haberet nepos, si in potestate avi esset retentus; ne plus ferat, cum extraneus sit, quam ferret, si esset suus. Iacobus Cujacius attingens nostrum textum, tract. 4. ad African. in l. nepos 18. de legat. præstand. breuitè, sed cum iudicio posteriorem Accursij sententiam amplectitur, docens, non plus ei conservari,

*Virilis est,  
quam ex edi-  
to de coniun-  
gendi ferret,  
si posset con-  
iungi.*

servari, quām si in potestate esset retentus, licet diuerso modo, & iure conseruetur, quia excepta persona est, & non ex liberis, qui bonorum possessionem contrā tabulas petere possunt. Quod & posteā retinuit, in posthumis recitationibus ad hunc textum.

3 Ego, vt iudicium meum promam, nihil dubito, quin hæc veterum, & Cujacij sententia verissima sit, & litteræ congruentior; sed quia valde difficilis est, ère me facturum existimo, si paraphrasticè illam explicuero. Virilis portio dicitur tam ea, quam ferunt exceptæ personæ, quām ea, quam auferit is, qui bonorum possessionem contrā tabulas petit, l. nam secundum 7. de legat. præstand. Sinepos in potestate retentus, & patruus filius testatoris essent heredes instituti, & alius filius præteritus, qui contratabularet: filius emancipatus, & eius filius in avi potestate retentus coniungerentur sic, vt vterque vnum tātum semissem filio suo instituto auferrent: & ille senis diuidendus esset int̄er filium emancipatum, & eius filium institutum in avi potestate retentum, d. l. nepos 18. de legat. præstand. Quæ est potestas edicti de coniungendis, vt dixi. Igitur virilis nepotis in potestate retenti quadrans est, tres vnciæ, dimidium semissis. Igitur absurdum esset, vt nepos ex emancipato filio susceptus plures vncias ferret, nemp̄ quatuor; & cum utroque filio exēquaretur tam suo, quām emancipato. Qui est proculdubio sensus illorum verborum: *vtrum virilis, an quarta debeat servari? Nam si in avinatus potestate fuisset, coniungebatur in unam partem cum patre suo.* Mos est Tryphonino, & modestus modus respondendi, decidere interrogando, vt notaui, ex l. filium 20. de contrā tabul. Alijsque I. Consultis familiaris, vt observant Cujac. tract. 4. ad African. in l. fiduobus 14. eod. tit. Suarez de Mendoza ad leg. Aquiliam lib. 2. cap. 2. sect. 3. numer. 27.

4 Ita ergo primam quæstionem decidit: mox annexit secundam non diuersam, nec difficiliorem, sed magis impeditam, quia multiplicat numerum personarum

Absurdum est  
nim effe, ut  
plus ferret ex-  
cepta persona,  
quām suus ne-  
pos.

rum eodem themate retento. Finge, inquit, habuisse filium in potestate, alterum emancipatum, ex hoc duos nepotes, alterum ante emancipationem suscepsum retentum in potestate, alterum suscepsum post emancipationem, qui nunquam fuit in potestate avi: filium in potestate constitutum, & utrumque nepotem heredes instituisse: præterisse filium emancipatum; & ab hoc pettam fuisse bonorum possessionem contra tabulas. Quæritur, quæta portio conservanda sit illi nepoti, qui post emancipationem suscepsum fuit? Qui à non est ex liberis, qui possunt petere contrà tabulas, nec possunt coniungi cum patre suo emancipato: tantumque est ex exceptis personis, quibus conservatur portio ex rescripto Imperatoris Antonini Pij. Si uterque nepos esset in potestate avi retentus, expedita res esset; nam semper pertineret ad patrem ex vetere edicto; qui ex noua Iuliani clausula sic diuidetur, ut integrum quadrantem ferret pater emancipatus, alias tres vncias ferrent ambo filii; quæ inter utrumque essent diuidendæ; sescuncia vni, sescuncia alijs: sescuncia est vncia, & dimidia. Sed nunc, qui à vno ex nepotibus extra familiam avi est, variatur dictum; qui à hic non coniungitur cum patre suo. Ideò etiam dubitatum fuit, quanta esset virilis portio eius? An plus ferat, quā frater in avi potestate retentus? Quod dictu est absurdum. Igitur cum nepos retentus in potestate tantum ferat sescunciam, consequens est, ut alter nepos plures vncias non ferat. Et hic est sensus genuinus illorum verborum: *Duo unam quartam habiturierat, patre eorum accipiente contrà tabul. bonorum possessionem, si fuissent in avi potestate; an ergo nunc in sescunciam tuendus sit, qui non in familia retentus est?* Dubitans decidit hanc questionem, ut deciderat præcedentem; & quoad quam inducit potestatem in dicti de coniungendis, quasi ambo nepotes essent in potestate avi retenti, iuxta formam divisionis datam, in d. l. 1. §. cum int̄r 11. de coniung. cum emancipato. Antonius ergo Faber, qui d. lib. 10. cap. 17. solitâ licentia emendat textum, & pro sescunciam reponit

nit tertiam partem, procul est ab indagine mentis Tryphonini.

Postrema quæstio est, cui abcessura sit portio hæc, quæ ex rescripto Imperatoris Antonini Pij cōservatur huic nepoti ex filio emancipato suscepto: tantum patri ipsius, qui fuit filius emancipatus testatoris, petivitque contrà tabulas, an etiampatruo abscedat? Id est, an vterque præstiturus fit dimidium fescuncia, aut ratam partem correspondentem portioni, quam vnuſquisque fert? An solus pater ipsius, ut quemadmodum fescuncia nepotis in potestate retenti à patre emancipato præstatür, non à patruo, quanvis vterq; committat edictum, leg. *nepos* 18. de legat. præst. Ita ab eodem solo præstanta sit fescuncia nepoti huic extrà familiam avi suscep̄to? Respondet Tryphoninus vtrumque prærata portione præstitutum portionem nepoti, qui in potestate avi retentus non fuit: de patre emancipato supponit, de patruo decidit: verba sunt, *Et puto & patruo*. Qui à licet quoad quotam reguletur portio huius nepotis per regulam editi de coniungendis; tamen quoad præstanti obligationem; illi præstare tenentur portionem, qui tenerentur præstare legatum ei datum petità bonorum possessione contrà tabulas. Quam rationem præbuit etiam Tryphoninus in fine: *nam & legatum eidem datum præstaret*. Tralatitium quippè est, omnes, qui petunt contrà tabulas, & si petat aliquis ex institutis, commisso per fratrem edito, teneri exceptis personis præstare legata, leg. *filium* 20. §. *legata*, de bonor. pos. contrà tab. leg. *nonnunquam* 14. §. 1. de legat. præstand. Nisi scriptus sit in minori, & per edictum crescat portio in virilem: tunc enim legata ab instituto nominatim data, ab eo solùm præstanta sunt exceptis personis: qui à licet habeat virilem per edictum: tamen substatetur iudicium defuncti, qui ex minori institutum integris legatis exceptarum personarum, & forte plurimum, voluit onerare: neq; est, quod queratur de fratre contratabulante, per quem potius beneficium, & utilitatem con-

*Licet quoad quotam reguletur virile ex nova clausula, quoniam quoad præstare di obligatio nene.*

*Qui præfessi legata excepti?*

sequutus fuit, quām detrimentum. Itā Accursius *in dict.*  
*leg. 14. §. 1.* per textum ab argumento collationis ele-  
gaatē *in leg. si filia fuerit 3. de collat. bonor.* deducentes  
tunc ab utroque præstanda legata, quando portio insti-  
tuti decreverit petitā à fratre bonorum possessione cō-  
trā tabulas. *Quod vero simillimum mihi videtur. Ha-*  
*cenū de Tryphonini textu; nunc elucidandus est alter*  
*Marcelli similis argumenti, & suboscurus.*

*Explicatur I.* *Excat in leg. vlt. §. 1. & 2. de delegat. præstandis.*  
*vlt. §. 1. & 2.* Marcellus natus fuit novam clausulam de coniungendis  
hoc tit.  
*Fvnum Mar.*  
*celli.*  
*Differentia no-*  
*tanda inter fi-*  
*lium datur in*  
*adoptionē, &*  
*naturū in adop-*  
*tiva familia.*  

additam à Julianō, & rescriptum de conservanda por-  
tionē emissum ab Imperatore Antonino, ut utrumque  
suadetur *ex leg. qui duos 3. de coniungend. cum emancipato.*  
*de qua lege agere supersedeo, quia illam recte, & accu-*  
*ratē exposuit noster Valentia lib. 3. illustrium tract. 1. de-*  
*liber. & posthum. cap. 4. ex num. 15. vbi illam vindicavit*  
*ab emendationibus Anton. Fabri lib. 1. coniectur. cap. 17.*  
*quibus consenserat noster etiam Pichard. in lectur. Sal-*  
*mant. ad tit. de adquir. hered. cap. 17. num. 14. Itaque de*  
*codem iure Tryphoninus, Marcellusque responderunt,*  
*ut non possit caussari int̄ ī ipsos dislensio. Species er-*  
*gō talis est. Pater fam. filium habebat in potestate, quem*  
*extraneo in adoptionem dedit. Filius in adoptiva fa-*  
*milia filium suscepit, qui nunquam fuit in familia avi.*  
*Habebat etiam alterum filium emancipatum. Nepo-*  
*tem heredem scripsit. Emancipatum filium preterivit.*  
*Quæritur, utrum nepos commisso per patruum edicto,*  
*potet petere bonorum possessionem contrā tabulas?*  
*Ratio dubitandi elegans, & Marcello digna, desumitur*  
*ex leg. non putavit 8. §. in adoptionem 11. l. si in adoptionem*  
*11. de contrā tabul. in quibus filio in adoptionem dato,*  
*existentique in adoptiva familia, heredi instituto datur*  
*bonorum possessio contrā tabulas, commissio per fratrem*  
*edicto, quæ præterito ex sua persona non daretur. Er-*  
*gō sic similitē danda erat nepoti naturali in adoptiva*  
*familia nato, si institutus esset, & patruus contratabu-*  
*laret. Quā non obstante negat Marcellus nepoti in-*  
*flit.*

instituto esse concedendam. Differentiae ratio est, quia filius, qui exivit de familia datus a patre in adoptionem, aliquando fuit in familia patris, in quo emancipato potest comparari: nepos vero; qui conceptus, natusque est in patris adoptivi familia, nunquam fuit in familia avi naturalis. Et ideo nec commissio per alium edicto gaudere potest vetere edicto de contra tabulas. Hic est sensus illius clausulae interrogantis. Num habet nepos ex edicto bonorum possessionem? Quae proculdubio in negativâ convertitur. Postea querit, siquidem ei hoc beneficium denegatur, an tuendus sit in portione, an sit ei conservanda portio? Sic responderet. Tuendus tamen est exemplo parentium, & liberorum, quibus legata praestare coguntur, qui bonorum possessionem contra tabulas acceperunt. Haec est cautio rescripti, ad quod respexit Marcellus.

7 Denique in §. si forte, mutat speciem; ponitque patrem, qui filium dederat in adoptionem, retinuisse in potestate unum, priusve nepotes, quos filius in adoptionem datus procreaverat in familia patris naturalis existens. Instituit hunc nepotem in potestate constitutum. Praterivit filium emancipatum. Qui contraria tabulas petivit. Quæritur, utrum tuendus sit in portione sibi data? Et Marcellus, quia de suo loquitur, indubitate respondit tuendum esse in ea, nempe si non sit maior virili; si esset maior usque ad virile, ut de omnibus liberis, qui per se, vel commissio per alios edicto, contraria tabulas petere possint, docemur in dict. leg. non putavit 8. §. ult. Quod non est difficile. Difficilior tamen est comparatio, quae sequitur: Indubitate pro ea parte tuendus est, pro qua parte tuetur; si ex filiane nepos, aut mater defuncti heredes instituti essent: nam his comparatur. Ecce nepos tuus, qui vel iure sui, vel ex vetere edicto tuendus est contraria patrum emancipatum contratabularem, ut pridem diximus, comparatur exceptis personis, quibus portio ex novo rescripto conservatur: dubitari ergo potest, quomodo Marcellus ab hoc termino sumplerit comparationem; cum potius excepta personae, quae minus iu-

ris habent, comparandæ essent liberis suis, emancipati ve, quibus bonorum possessio contrà tabulas competit,

§. Accursius, Cujaciisque leviter hunc textum attigerunt, latius Gofredus, sed per eamdem incedens orbitam: censem ergo tam in hoc, quam in superiori §. agi de nepote nato in adoptiva familia instituto; sed in hoc §. si forte, illud quæstioni adiici, quod concurrat cum alijs fratribus ex eodem filio in adoptionem dato pridem suscepatis, & in avi potestate retentis. His servatis terminis, docet Gofredus, sic viriles esse computandas, ut nepotes in potestate, omnes simul ferant tertiam partem: nepos institutus in adoptiva familia natus aliam tertiam partem: filius emancipatus præteritus, qui petivit bonorum possessionem contrà tabulas, auferat aliam tertiam partem. Vnde comparatio fit de hoc nepote ad exceptas personas, non de nepotibus in potestate retentis. Itaque diversa species est Gofredi, quam à nobis proposita. Nos enim ponimus, nepotem, nepote in potestate retentos, fuisse institutos: Gofredus vero statuit, nepotem in adoptiva familia natum, scriptum fuisse. In quo à communi nolo dissentire, modo ponamus omnes nepotes fuisse institutos: licet fortiter posset defendi speciem variari in dict. §. vlt. Nunc ergo quæstionova est, & quæ per novam clausulam edicti de coniungendis non erat decisa: quam partem ferrent omnes nepotes, filij eiusdem patris in adoptionem ab avo dati? Nova clausula tantum coniunxit cum patre emancipato nepotes retentos in potestate: non coniunxit eos, qui nati erant in adoptiva familia, nisi filius in adoptionem datus institutus esset, leg. 1. §. Et in adoptionem 2. de coniungend. Rursus cum patruo emancipato possent concurrere nepotes in avi potestate retenti, quanvis eorum pater in adoptiva familia existet, ut concurrunt nepotes ex patre exheredato in stirpes dict. leg. 1. §. si pater 4. sed non nepos in adoptiva familia conceptus, natusque, nisi beneficio recipi, ut con-

coniuncta persona. Marcellus ergo utrumque ius commisit, concludens retentos in potestate concurrere ex vetere edicto, quia non habent patrem, qui eos præcedat. Nepotem in adoptiva familia natum beneficio rescripti concurrere, & coniungi cum reliquis fratribus in avi potestate retētis, quia institutus est, & est excepta persona, cui portio conservatur. Ergo licet diverso iure succedant, par est conditio omnium nepotum. Ergo, si quidem omnes tuendi sunt, omnes in stirpes succidunt; & tantam omnes ferunt partem, quantā patruus emancipatus contratabulans. Absurdum enim esset, ut duo nepotes in potestate retenti tertiam, nepos in adoptiva familia natus tantam dē, & patruus totidem vincias ferret. Quod nihil probat, ut censeo, dislertus text. *in leg. si in adoptionem 11. §. 1. de contrā tabul.* Verba sunt: *Exemplo iuris legitimi, & bonorum possessio contrā tabulas distribuitur. Igitur nepotes ex uno filio unam partem habebunt.* Pone tamen è converso, nepotes in potestate retentos, ex alio filio præmortuo fuisse; superstitem esse filium emancipatum præteritum, & institutum nepotem in adoptiva familia natum. Nepotes, filiusque emancipatus ex vetere edicto succidunt; nepos institutus succedit ex rescripto; fiuntque tres stirpes. Igitur in eo casu per trientes dividenda erit hereditas avi. Finge denique, nepotes retentos filios esse emancipati præteriti; & institutum nepotem ex filio adoptivo: fiunt duæ stirpes; semis pertinet ad emancipatum, & eius filios: semis ad nepotem in adoptiva familia natum. Nam emancipatus, & eius filij pro una persona supponunt, & sic unus est contratabulans: unde virilis portio excepta, exceptarumve personarum alter semis est. Sic in nepte adoptivo, matre, patre, nepotibusq; ex filia philosophandum est.

9 Egitus satis, superque de duobus fragmentis Marcelli, & Tryphonini, qui rescriptum Imperatoris Antonini Pij naeti fuerunt: videamus de alio difficultili Juliani *in leg. cū emancipatus 13. §. 1. de contrā tab. Salviūm*

*Explicatur, l.  
cū emancipatus 13. §. 1. de  
contrā tab.*

vium Iulianum vixisse usque ad tempora Titi Antonii, qui Pius cognominatus fuit, persuasum est viris doctissimis ex leg. si ipsa 18. de eo, quod metus causa, ubi huius Imperatoris rescripti cuiusdam meminit. Sed hoc, quo de agimus, non fuisse naustum, superius probavimus, quod est testatissimum. Hoc posito, proponamus speciem dict. §. 1. Duos quis filios habebat, non exprimit quales, sive fuisse emancipatos. Ex altero filio habebat nepotem, quem dederat in adoptionem: hunc heredem instituit cum patre eius, praeterivitque alterum filium. Quærerit Iulianus, quid in his servari debet? Nempè utrum nepos virilem portionem, & aequalē habeat cum patre, & patruo? An coniungendus sit cum suo patre ex nova clausula editi ab ipso Iuliano excogitata? Respondit, in præsentī hypothesi nō posse habere editum de coniungendis locum; quia solum coniungitur nepos in potestate avi retentus dict. l. 1. §. si pater 6. de coniungend. Vnde concludit, nepotem non admitti, quia cum suus non sit, à patre quantumvis emancipato præceditur. Ut recte censet Cujac. ibi lib. 23. Digestor. Iuliani. Accursius in leg. non putavit 8. §. vlt. verbo bonorum possessio, eod. tit. Bartholomaeus Chesius lib. 1. interpretation. cap. 8. ex num. 11. Imò adjiccit, non admitti nepotem ad contrà tabulas, quanvis pater ipsius decebat, ante quam bonorum possessionem petat; debet enim primū gradum occupare, aut primum locū tempore mortis testatoris, leg. non tantum 3. §. si quis filio 6. de contrà tab. ibi. Patre eius antea defuncto, leg. 1. §. si filius 12. de ventre in possess. mitterendo. Eccè ubi nepos, licet institutus, quia præceditur à patre tempore mortis, non habet contra tabulas, etiam si velit coniungi, & etiam si institutus sit, quia non est ex liberis, quibus haec bonorum possessio competit. Ex quo notandum est, in bonorum possessione contrà tabulas non esse locum edito successorio. Quod tunc habet locum, quando decedente eo, qui in ordine primum locum occupat, postquam ei delata erat bonorum possessio: sequens

In bonorum  
possessione cō-  
trā tabul. non  
est locus edi-  
cto successo-  
rio.

quens admittitur, leg. i. in princip. de successorio edicto. At verò si bonorum possessio contra tabulas nata, delataq; sit filio emancipato, & is post delationem, id est, post mortē patris decebat; nepos non admittitur. Idem ergo servavit Prætor in hac bonorum possessione danda; quod servat ius civile in suis remedijis rupturæ, aut nullitatis: nepos enim præteritus ex filio exheredato, non rumpit avi testamentum, quanvis pater ipsius ante aditam hereditatem decebat; si decessit post mortem avi, leg. si quis posthumos 9. §. si filium, de liber. Et posthum. leg. si quis filio 6. de iniusto rupto. l. scripto 7. unde liberi. l. si quis filium 34. C. de inofficio testam. Inspicitur ergo, quem locum occupet, tempore mortis testatoris. Hoc appellavit Costa in §. Quid sit tantum 3. par. ex num. 201. non habere locum successorum edictum in bonorum possessione. Per contrarium successioni locum esse voluit persuadere Gofredus in leg. illud 4. de contraria tabul. Ego, qui in verbis à Costa possem dissentire, si multum de his apicibus curarem, in sententia ei consentio, quia fundamenta Gofredi levia sunt, & contraria litteram tex-tus, quem explicat.

10 Ex tam longa disputatione Iuliani dignoscitur, nepotem hunc datum in adoptionem, nec coniungi cum patre, nec ex persona sua admitti per contraria tabulas, licet institutus proponatur. Hinc deducunt hanc consequiam: ergo non est tuendus in portione sibi data per rescriptum Imperatoris Antonini Pij. Si mentem, & ætatem Iuliani intueamur, fateor, rectissimam esse consequiam: nam tunc excepta persona instituta non tuebatur, nec tale privilegium habebat, quale legatarij ex exceptis. Cæterum si Triboniani, & Compositorum mētem introspiciamus, perversa consequi-tio est: quanvis enim per vetus edictum non ferat partem, nec per novam clausulam de coniungendis; retinet tamen eam per rescriptum: ideo quod Iuliano defuit in hac disputatione, ex aliorum l. Consultorum testimonij suggestendum est. Compositores verò id-

Solleria Tri-boniani con-si-mendatur.

circò nihil de alieno assuerunt textui Iuliani, ne impudenter vetustiori Auctori ius, de quo ipse non potuit respondere. Non est ergò locus contrarius, sed diminuta decisio, & ex alijs novioribus supplenda.

## CAPVT XIII.

*DE NOVO RESCRIBTO IMPERATORIS MARCI ANTONINI PHILOSOPHI, UT NEPOES EX EMANCIPATO SUSCEPTI, MORTUO PATURE CONIUNGANTUR CUM PATRUE.*

Ad leg. emancipato

4. de coniungend.

**A**N hic textus rectè collocaretur sub titulo de coniungendis cœpit Accursius dubitare; Cujacius verò lib. 3. observat. cap. 37. alienum esse à rubrica, & extra sedem propriam collocatum esse, asleverant̄ censuit. Ego vero in contraria opinione sum, nempe nullibi eum referre commodiūs, & propriūs potuisse sollertiaſimum, & doctissimum Tribonianum cum reliquis peritissimis Pandectarum Compositoribus, quām sub hoc titulo, qui alioquin mancus, mutilusque maneret, si hoc rescripto careret. Quod innotescet, si paulo pressius speiem enarraverimus, & exposuerimus ius, quod ante rescriptum Marci vigebat.

2. Species est; habebat quis filium, & ex eo nepotes in potestate: filium emancipavit, nepotes in potestate retinuit: filius emancipatus postea alios filios procreavit; hi nunquam fuerunt in potestate, siue in fami-

Reſtſub illo  
tit. collocari  
textum deſcri-  
dūtur.

familia cylilli avi. Pater decepsit, vel præteritis omnibus liberis, vel ab intestato; ita ut quærendum esset de bonorum possessione contrâ tabulas patris, vel de ipsius bonorum possessione vnde liberi, inter filios relictos in potestate avi, & suscepitos post emancipationem. Huic rei primùm providere cæperunt Prætores specialibus decretis, admittentes filios relictos in familia avi, qui in patris potestate, familiaque nunquam fuerunt, cum susceptis post emancipationem: ex quo si adquirebant paterna bona avo, quiā in eius perseverabant potestate, iubebant Prætores, vt bona sua avus conferret filiis in potestate patris emancipati eius mortis tempore existentibus. Quod si avus paratus esset nepotes suos emancipare, vt sibi hereditatē adquirerent, vel paterna bona, vt propriūs loquar, non esse locum collationi dicebant Prætores; quæ omnia rescripto suo confirmavit Marcus Phylosophus; ne sub incerto iure essent, & exposita varijs Prætorum variantium edictis. Hactenūs Modestinus. Ex quo vides, novum genus coniunctionis int̄ suos, & in aliena familia relictos inductū hoc rescripto.

3 Eadem species vertitur ab Vlpiano in leg. si quis filium s. de collat. honor. vbi nepos retentus iungitur cum filia post emancipationem suscepta, & in potestate patre retenta: ita ut avus conferat bona sua, si lucrum ex bonorum possessione consequi vult; non tamen, si paratus sit nepotem emancipare. Et in exemplum annexit alium casum posteriori rescripto DD. Fratrum decimum: nempè quando ad honorū possessionem cum suo vocatur, qui in adoptiva familia est. Si vult commodum bonorum pater adoptivus, tenetur bona sua conferre filio in potestate patris existenti tempore mortis: quod si cum sinè fraude, reverā, vt à familia sua alienum faciat, emancipaverit, non est locus collationi. l. i. g. is quoque 14. eod. tit. Nihil aliud adducitur in l. si pater s. si tabul. testam. null.e extabunt, & vnde lib. quæ est eiusdem tractatus, & decisionis. Cur verò emanci-

Nepotes in familiā avi retenti, & natū in potestate patris emancipati, simul admittuntur ad patris naturæ lis honorū possessionem.

Ex rescripto Imperatoris Marci.

Tunc confert avus. Expli- catur l. si quis filium s. de collat. bono- rum.

Simile rescrip- tum DD. Fræ- trum.

*Si avus nolit  
succedere, sed  
nepotes eman-  
cipet, non con-  
fert. Redditur  
puplex ratio.*

pati ab avo nepotes fratribus suis non conferant? Du-  
plex redditur ratio; altera à Gofredo in dict. leg. si quis  
filium s. Simplex, veraque, quia cum tunc nudus vllis  
bonis exeat de potestate leg. 2. c. 4. quod cum eo, nihil  
habent, quod conferat. Altera subtilior ab Vlpiano,  
quam immerito carpit, quia non capit, Gofredus: quia  
avo quandoque defuncto nepos post emancipationem sus-  
ceptus ad bona eius simul cum fratre denuò ab avo eman-  
cipato possit venire. Si avus per nepotem adquireret fi-  
lii lui emancipati dimidiā partem bonorum, aliena-  
retur hæc pars, transiret in patrimonium avi: & tanum  
portio hereditaria descendideret ad nepotem retentum  
in potestate, patruumque filium eius de cuius here-  
ditate queritur, non verò ad filium, filiamve à patre  
emancipato post emancipationē susceptos: quia hi cum  
nunquam ex familia avifuislent, nec ad contrà tabulas,  
nec ad bonorum possessionem unde liberi avi admittie-  
bantur, sed tantum ex testamento per rescriptum An-  
tonini Pij, de quo toties dixi. Vnde si avus hunc nepo-  
tem non institueret, præteritus nihil ferre posset; vt  
nec ab intestato cum fratre, & patruo posset succedere.  
Cæterum si avus nepotem in potestate retentum emā-  
cipet; quanvis nepos hic sibi adquirat partem heredita-  
tis paternæ, eamque amittat filius suus, nempè frater  
susceptus post emancipationem; hec tamen iniuria cō-  
pensatur cum beneficio rescripti: vterque enim frater  
tam post emancipationem susceptus, quād denuò emā-  
cipatus coniunguntur, vt succedant avo, pro qua parte,  
& quo iure succedere posset filius emancipatus ipitorum  
pater. Ergò & contratabulas, & unde liberi postlesiones  
vterque petere poterit. Eccè potestatem rescripti, per  
quod post emancipationem susceptus sit ex liberis, qui  
contrà tabulas petere possunt. Pone, avum reliquissim  
filium etiam in potestate constitutum, patruum nepotū,  
non dubito, quin vterque nepos concurrat cum patruo,  
vterque vocatus in stirpes, quasi una persona, videlicet  
ex persona patris emancipati, quem referunt. Igitur si  
vnuus

vñus ex nepotibus deceiserit, vel partem suam repudia-  
verit, portio recurret ad fratrem, non ad patruum: quia  
maiori coniunctione, & proprietate gradu coniungitur cū  
fratre, quam cum patruo, leg. 1. §. si quis ex nepotibus 12.  
*de coniungendis.* Manet ergo, rescriptum M. Antonini  
Phylosophi novam speciem coniunctionis induxisse  
cum fratre, & patruo. Ergo meritò referri debuit in  
hunc titulum.

4 Ex his textibus Pichard. in lectur. ad tit. de ad-  
quir. hered. cap. 15. numer. 42. Valentia lib. 3. illustr. sub  
eod. tit. tract. 2. ex num. 13. controvertunt, an filius, ne-  
posve in potestate existens, sit dominij capax? Quorum  
quæstionem missam facio, quia nō pertinet ad nostram  
tractationem.

## CAPVT XV.

*A QVO GRADV PRÆSTAN-*  
da sint legata, petità bonorum possessione con-  
tratabul. Non esse locum tacitæ repetitioni.

Ad l. sed & si 10. §. non omnia 2. de  
legat. præstandis.

**B**ONORVM possessio contraria tabulas non  
exigit, ut omni iure valeat testamentum;  
sufficit, ut tales sint tabulae, ex quibus here-  
ditas adiri, vel secundum eas bonorum pos-  
sessio peti possit, quanvis neutrum eorum sequutum  
sit, vel sequi potuerit, l. quod vulgo 19. de contratab. quod  
qualiter accipendum sit, in superioribus animadver-  
sum relinquo. Deinde cum semel hæc bonorum posses-  
sio competere cœpit, & ab uno gradu si competere cœ-  
pit, veluti à primo gradu institutorum, durare; quan-

tumvis gradus ille ex postfacto evanescat. Quæ doctrina expressè colligitur, ex l. non putavit 8. §. à primo s. eod. tit. Sed qui tam ipsa, quam textus, ex quo deducitur, indiget expositione, è re duxi paulo præsìus, ex preßiusquè illum enodare.

2 Proponitur filius à primo gradu præteritus; secundo exheredatus: præteritus à primo gradu dicitur, quando pater primo gradu scripsit heredes Titium, & Seium, eosque invicem substituit; ut si Titius deficeret, vel repudiaret, portio eius recurreret ad Seium coheredem; sic adiuvatur tacita voluntas juris accrescendi per expressam, quæ resultat ex substitutione, l. si posthumus 14. de liber. & posthum. l. si ego 19. §. 1. de iniusto rupto, & yrobique Cujac. noster Valentia, lib. I. illustrat. I. cap. 2. num. 9. & 10. Alioquin non est purus gradus institutorum; nam deficiente, vel repudiante uno ex institutis; subingreditur in locum eius substitutus, & commiscetur uterque gradus, concurrentibus instituto, & substituto, d. l. 14. d. l. si ego 19. in princ. Hæc pro instituto nostro attigisse sufficiat, dum maiorem indaginem Primarijs nostris relinquimus, quibus materia assignata est. Exheredatus à secundo gradu dicitur, quando pater, indefectum institutorum vocavit secundo loco, & gradu alios, à quo gradu nominatim filium exheredavit. Non exprimit, an hic filius esset suus, an emancipatus? Vtrumque potest asseverari, quod & fecit Gofredus: nam, & suo necessarium erit edictum de contrà tabulas in hoc casu, & præstabit legata exceptis personis, ut dixi in superioribus, nec immoror.

3 Nunc observandum est cum cura, & opportunitate, legata exceptis personis deberi petitæ bonorum possessione contrà tabulas; quando ab instituto ante æst hereditas adita; tunc enim confirmato testamento restatoris, omnibus legatarijs incipiunt deberi; sed extra nei, si petant, repelluntur à contratabulante hæc exceptione, si contrà tabulas bonorum possesso contrà tabulas petitæ sit: excepti vero petunt, imò si prædicta exceptione repella-

pellantur, replicant de dolo aduersus filium; qui à dolo facit, qui non prestat legata his, quibus edicto suo Prætor conservat. Hanc doctrinam deduco, ex l. si præteritus 15. de contraria tabul. & ex l. is, qui in potestate 15. de legat. prest. in princip. Vel quando hereditas quidem à scripto, scriptisve repudiata est, sed metu bonorum possessionis contraria tabulas à filio petendæ, l. 3. §. vlt. cum l. seq. eod. tit. de legat. prest. Quo in casu legata, quæ ex destituto testamento non debentur, debentur ex edicto Prætoris: ideo non petuntur directa actione ex testamento, sed utriusque ex iudicio resciso, quasi rescissum non esset. Quinimò, & in prima specie sine metu exceptio-  
nis, & sine ambagibus, utriusque actione experiri posse ex-  
ceptam personam, probat textus in l. si emancipato 17.  
cod. tit.

Ergo si ex alio capite legata invtilia sint, vel testamentum destituatur, nec exceptis præstanta sunt. Pone, heredem scriptum cum creatione, cernito intrà centum dies proximos morti meæ. Vlpianus in fragment. regular. tit. 22. §. cretio 27. cum seqq. vel qui ad delibe-  
randum eosdem centum dies, vel plures, sumpsit, l. i. de  
iure deliber. decessisse ante tempus: nemo dicet repudiari-  
se hereditatem metu bonorum possessionis contraria tabu-  
las. Verius est suo fato, ut ita loquar, defecisse testa-  
mentum. Igitur, cum tunc omnia corruerent legata, non est credendum exceptis personis conservari. Ita ac-  
cepta proba, & probalis est, nimis alioquin generalis, &  
ab soluta, doctrina Gofredi, in l. sed & si 10. §. quod si nu-  
mer. 3. de legat. prest. Pone, etiam extraneum institutum  
fuisse sub conditione casuali, quæ defecit post mortem  
testatoris: evanescit testamentum ipso facto. Igitur ne-  
que exceptis legata debentur. Idem Gofred. ubi proxi-  
mè num. 4.

His positis, repetamus speciem, d. §. à pri-  
mo. A primo gradu præteritus fuit filius: à secundo ex-  
heredatus. Si ageret de nullitate filius in potestate con-  
stitutus, nullum primum gradum ficeret, & testamen-  
tum

Legata alias  
invtilia non  
confirmantur  
hoc edicto.

Comperit à  
primo gradu,  
& ab ipso de-  
bentur legata.

tum inciperet à secundo, l. 3. §. vlt. de lib. & posthumā quia nullitas non elidit testamentum, sed gradum: sc̄cūs ruptura posthumī; posthumus enim rumpendo primum gradum, totum eyertit testamentum, l. 3. §. vlt. cum duab. ll. seqq. de iniusto rupto. Lex enim operatur ad instar facti hominis: homo, qui rumpit testamenti tabulas, totam dispositionem infringit; qui annullat gradum, non infirmat testamentum. Bonorum possessio contrà tabulas æquiparatur rupture posthumī; nam quæ competit contrà primum gradum, avocat bona heredi scripto, & omnia transfert in bonorū possessorem, l. cum emēcipatus 13. in princip. de contrà tabul. Quia proptèr ut aditio facit cessare substitutionem, l. post aditam 5. C. de im-  
Si aliquis ex eo superfit. puber, & alijs substitut. Sic bonorum possessio contrà tabulas petita contrà primum gradum, vt cum magno iudicio obseruavit Goueanus, in l. & si contrà tabul. 35. de vulgari. Siue quia ab institutis adita sit hereditas; siue quia habeatur pro adita, cū repudietur metu bonorum possessonis contrà tabulas; siue quia ipse præoccupet. Quod alibi notatum manet, sed non ita, nec ex professo. Igitur si post mortem testatoris viuant heredes primo gradu scripti, vel aliqui ipsorum, cōpetit filio contrà primum gradum bonorum possessio contrà tabulas: quæ durat, si semel nata est, licet ex postfacto institutio evanesceret, veluti defecta conditione, sub qua instituti fuerunt heredes primo gradu scripti, vt dixi numero proximo. Quod si omnes primo gradu scripti heredes decessissent, viuo testatore, quia hereditas versatur in secundo gradu, à quo filius exheredatus est, nō potest agere contrà tabulas, quæ bonorum possessio exheredatis non competit, d. l. non putavit 8. in princip.

Aliquando tamen ab illo gradu non debentur, sed & seq.

6. Obseruandum est, bonorum possessionem contrà tabulas, quæ incipit competere; non desinere, quamvis evanescat conditio institutionis: & tamen verum est, non deberi legata ab eo gradu relicta, vt ibi dixi: quia competit tunc contrà solum lignum; quod efficit, vt avocentur bona, non vt debeantur legata. Ex quibus

quibus exponendus est difficilis, intricatus, & laciniosus text. in l. sed & § 10. §. non omnia 2. de legat. præstand. Primo ponit regulam generalem; nempe non omnia legata exceptis personis, ab omnibus gradibus data præstada esse; sed tantum data ab illo gradu, contrà quem bonorum possessio petitur. Veluti si petatur contrà institutos, præstanda sunt data ab institutis nominatim: & sic de reliquis gradibus. Quà in inspectione non est locus rescripto Seueri, per quod legata ab instituto relicta censemur repetita à substituto, de quo in l. licet Imperator. 74. de legat. 1. l. si Titio 61. §. Julianus de legat. 2. l. non iustum 4. C. ad Senatus Consult. Trebell. cum similibus. Idecirco si contra gradum substitutorum petatur bonorum possessio, filius contratabulans non tenetur præstare legata exceptis personis nominatim data ab institutorum gradu. Accursi. ignorauit rationem; sed eam eleganter pressit Gofredus, in d. l. 10. num. 13. Quia tacita, seu presumpta voluntas testatoris facit locum repetitioni, & prouidentiè rescripti: testator quippè, qui plus dilexit institutos, quam substitutos; vt ex prælationis ordine liquido apparet; & institutos oneravit legatorum præstatione, per consequens censemur voluisse ijsdem legatis grauare substitutos minùs dilectos: quarè tota hæc dispositio liberatiua est, & reducitur ad coniecturas ex indagine voluntatis captandas, d. l. licet Imperator 74. vbi cōmunitè docetur. Atqui filius præteritus, qui contrà substitutum petit bonorum possessionem, non succedit secundum voluntatem defuncti, sed contrà voluntatem; nempe ex edito Prætoris, res ciso iudicio, l. 1. de legat. præstand. non est, quem in secundam spem vocauit defunctus, sed quem omisit. Igitur nulla est ratio coniecturandi ab hoc, de quo non videatur cogitasse, repeteret legata voluisse.

7. Constitutæ regulæ, proponit exceptionem: sed non nūnquam, inquit, contrà alium quidem gradum petitæ est bonorum possessio, ex alio vero legata præstanda sunt. Quam exceptionem exemplis explicat, & illustrat. Verbi grā-

Exponitur, I.  
sed & si 10. §.  
non omnia,  
hoc tit.

In loc. editio  
non est locus.  
repetitioni.

Ratio.

tia, testator fecit duos gradus heredium, institutorum scilicet, & substitutorum: ab utroque gradu filium præterivit, & ab utroque legata diuersa nominatim exceptis personis reliqui: si post mortem defuncti viuat aliquis institutorum, contrà illum gradum petitur, & præstanta erunt legata ab eo gradu relicta. Quod si ante mortem testatoris omnes instituti dececerint, euanuit primus gradus, & hereditas versatur in secundo, d. l. non putavit 8. §. à primo §. contrà quem petitur bonorum posselsio: præstanta ergo erunt sola legata ab hoc gradu relicta. Quia à primo gradu data non censetur à secundo repetita, quoad hanc editi partem, ut nupèr dixi. Si vero tam instituti, quam substituti dececerint viuo testatore: nulli sunt præstanta legata, quia mortis tempore non fuerunt tabulæ, contrà quas dari possent bonorum posselsio, d. l. quod vulgo 19. de contrà tabulas. Quærit tandem in versic. quod si post mortem. Quid dicendum sit, quando mortis testatoris tempore aliqui ex heredibus primo gradu scriptis viuebant; dececerunt tamèn ante aditam hereditatem in tempore creationis, vel in tempore ad deliberandum à Pretore præstitutum? Petitur quidem bonorum posselsio contra illum gradum; nam quæ semel contra illum nata fuit, non desinit competere, d. §. à primo. Sed ex illo gradu legata non debentur, ut dixi num. 4. itaque, quoad legatorum præstationem, inanis est hac bonorum posselsio. Igitur quanvis à primo gradu videatur petita bonorum posselsio contra tabulas; tamèn sola præstanta sunt legata à secundo gradu relicta.

In eadem tra-  
nscrivit  
natione expo-  
nitur 1. at vbi  
institutus 11.  
hoc tit.

**8** Sequitur Pauli textus superiori annectendus Vlpiani, in l. at vbi institutus 11. eod. tit. de legat. præst. In quo docet, si uterque gradus non adeat, omissat hereditatem, tam institutorum, quam substitutorum; tantum præstanta esse legata, quæ ab instituto data sunt. Hunc locum communiter accipiunt de repudiatione instituti, & substituti facta metu bonorum possessionis contrà tabulas: docentque ideo ab instituto relicta lega-

ea deberi; quia perinde eit, ac si adiisset is, qui eo metu repudiavit, d. l. 3. §. vlt. cum seq. eod. tit. Ergo cū viresque habeatur pro adeste, consequens est, vt debeantur relicta ab eo gradu, qui prius quasi adivit. Quam communem expositionem substineo. Sed mihi videtur Paulus voluisse aliquid amplius docere; videlicet non tantum deberi legata, quando institutus repudiavit expressè, quod deciditur, in d. l. 11. sed etiam, quandò non adiit metu bonorum possessionis contrà tabulas, ibi, licet nemo adeat hereditatem, veluti si patiatur elabi tempus creationis, vel præstitutum ad deliberandum; & sic tempore excludatur. Ex quo huius editi eleganter deducimus ampliationem; siue repudiet institutus, siue patiatur præterire tempus, intrà quod potuit adire, debentur legata à contratabulante, quasi scriptus adiisset.

9. Iterum redit idem Vlpianus, in l. siue autem 12. seq. in qua recolligit, quæ in superioribus textibus tradita sunt, & quidem cum incremento: docetque in tantum præstanta esse in eo casu legata à primo gradu relicta, vt non debeantur à substituto relicta, quamvis primo gradu scripti repudiaverint, vel omiserint hereditatem, & substitutus adierit. Licet enim substitutus aditione confirmare voluerit testamentum; & instituti voluerint illud destituere: tamen illorum repudiatione, quoad editum de legatis præstandis, pro aditione est; aditio verò substituti pro nihilo est: quia bonorum possessio contrà tabulas, que competit filio præterito contrà primum gradum efficaciter, vt exceptis legata debeat; facit, celesare effectum substitutionis vulgaris: non aliter quā si primus gradus adiisset, d. l. post aditam s. C. de impuber. & alijs substitut. vt cum Goueano suprà observavi, culis doctrina elegans, & singularis apprimè ex hoc textu fulcitur.

10. Denique Tryphoninus meus, in l. item à substituto 13. seq. acriter, & selecte, prout est acer, & selecta tractationis Iuris Consultus, prædicta nouo themate excogitato ampliat. Primo cum Vlpiano consentiens,

Et l. siue autem  
12.

Et locus Try-  
phonini in l.  
item 13.

in d. §. non omnia in fine, qui docuerat, deberi relata à secundo gradu, quando instituti deceperunt ante aditam hereditatem, id est ante elapsum tempus creationis; assertit idem esse dicendum, si instituti adire non potuerunt, ex eo quod conditio, sub qua scripti fuerunt, deficit: tunc enim evanescit institutio, nec legata per consequens debentur data exceptis personis: ut dixi *suprà num. 4.* Sed cum hæc regula absolutè prolata falsificari possit; presiūs illam comprehendit, & inter conditio-nes distinguit: si enim conditio casualis est, cuius im-plementum ab extraneo eventu dependet; qui condi-tione deficitur, non potest videri habuisse animū tacitū expressum ve repudiādi hereditatem, cuius aditione nuan-quam in ipsius potestate fuit. Ceterum si conditio fuit potestativa, quam si voluit, impiere potuit, & non im-plevit; perinde est, ac si hereditatem repudiaret, vel pa-teretur elabi tempus creationis metu bonorum posse-sionis contrā tabulas. Nota secundam ampliationem huius edisti. Ius prætorium fuit, si institutus adeat, vel repudiet metu bonorum possessionis contrā tabulas, præteritus, qui contratabulavit, præstet exceptis lega-ta. Paulus illud extendit ad eum, qui omisit sine repu-diatione, qui non adiit, qui tempore exclusus fuit. Try-phoninus denique ad eum, qui noluit parere condi-tioni potestativæ. Emmanuel à Costa subtilissimus, & solidissimus Primarius noster lib. 2. select. cap. 2. num. 1. elegantè perscrutatus est hanc decisionem, eiisque ra-tionem; cui illustrare multa, & valde accommoda exem-pla adducit, in quibus referendis non immoror, quæ apud ipsum legi possunt, ne invilitè aliorum scripta transferamus, transcribamusque. Quæ de his aduersarijs dixisse sufficiat. Sequuntur postrema, & minus expressa, aut quasi per indicem de inofficio so-testamento, quæ valde affinem tra-stationem continent.



# ADVERSARIA

## *De inofficio testamento.*

### CAPVT XVI.

*QVOD CONTINET COMMV-  
nia, & prima rudimenta tituli.*



ATRIA olim potestas apud Romanos estranis fuit, ut terrore filij in parentum officio cōtinerentur: spurijs enim, & vagi, qui à laribus proprijs extorres, vel fugitivi, Romam confluxere asyli fruendi gratiā, quod eo fine erexit Romulus: itemque gens militaris, & fera, ex præda, & rapto vivere assūta, non potuit non generare prolem similem sibi: protervam, contumacem, parumque obedientem parentibus, nisi summo rigore coerceretur, & contineretur. Hinc profluxit ius vitæ, necisque coacessum olim patribus in filios, & alia, quæ commemorat Dionys. lib. 2. qui non tam historicè, quam politicè de hoc Romuli instituto egit. Non aggero alia testimonia in re protrita, viderit tamen potest Franciscus Balduinus cap. 17. ad h. Romuli, & alij, qui de eadem re scripsierunt. Mitescentibus verò præclaris institutis gentis moribus, necesse fuit, ut & rigor patriæ potestatis mitigaretur, vt perspici potest ex leg. vlt. si à parente quis

*Qualis patria  
potestas apud  
Romanos pri-  
mis seculis?*

*Medys?*

Novissimis.

quis fuerit manumiss. l. 1. l. *Divus 5. ad leg. Pompei de parricidij*, donèc ad solum obsequium, modestamque castigationem per Constantinum, ut par fuit, reduceretur. in l. 1. c. de emendat. propinq. Tempora, modumq; exquirere, quibus eò deuentuni fuit, non est nostri instituti. Consulendi erunt doctissimus noster Antecessor D. Solozanus de criminе parricid. lib. 2. cap. 7. & seqq. & olim noster Sodalis studiorum, eodem Sanctæ Barbaræ intrà septa examine approbatus, cultus, elegans, & suprà cōmunem modum eruditus Græcā, Latina, & quacunque structurā refertissimus Dom. Licent. Don Ioannes Franciscus, magni Francisci filius, Ramos del Manzano in Dominicæ amplissimo Matritensi Prætorio Senator, Eques Divi Iacobi nobilissimus, magna spes altera patris *toto lib. 8. de parricid.* Necdum coercita fuit erga filiorum vitani, sed & erga successionis spem. Olim à paterna charitate pendebat heredem relinquere filium suum, vel exheredem facere: neque ullum remedium paratum erat, quo filii à patribus exhereditati, aut si mavis externati, vt ait in *apologia Apuleius*, evincerent sibi ab extraneis scriptis paternam hereditatem, *leg. in suis 11. in fine de liber. Opus* *posthum.* Postea verò receptum fuit, vt filijs paterna exhereditatio non obesset, nisi meritis de causis facta fuisset, l. cum ratio 7. de bonis damnatorum. Testamentaque inofficiosa rescindi cæperunt quærelà; de qua aliqua dicturus sum in his adversarijs proptèr affinitatem, quam hic tristatus habet cù precedentibus. Licet Donellus, & Osualdus, & nupèr in novissimis posthumis Franciscus de Caldas Pereira, & alij latissimè, & exprofeso egerint.

<sup>2</sup> Condonandum tamen est, si exorbitemus tantisper. Vir quidam, à me nunquam provocatus, lib. nupèr edito, in calce operis, ne sine felle desineret, & vt liberius in me devacharetur, meaq; traduceret scripta, quæ prostant lib. 1. *Opusculor. cap. 6.* suppresso meo nomine, & transcriptis quibusdam lineis, totis in eas lacertis agit, viresque acuit: Clasicum canit, & ad debellandum me bellatores vocat, vt portenta aberrunt,

cent, quæ in iurisprudentia succrescunt me satore; priusquam radices agat, inquit, quidam nuper editus error: ad quem relectandum recte iurisprudentia acuit, paratque securim. Eccè iam securis ad radicem posita est. Qualis est error? Nempe quia dixi, patriam potestatem à iure gentium esse, illo videlicet, quod cum ipso genere humano rerum natura prodidit. Plus dixi: à divino illo naturali provenire, quod hominibus indidit Deus tanquam naturæ Auctor. *Exodi cap. 20. Deuteronom. cap. 5.* Væ mihi à tanto concertatore; ò me miserum, qui tam novas, tam insolitas, tam falsas sententias exceptores meos doceo! Et sanè hoc mihi insitatum est, qui frequentissimas tradere soleo, & viu communissimo tritus: à pondere, & veritate gloriolam captans, non auram leuissimam à iuris ciuilis apicibus. Sed deceperunt me (iam effugia quæro, & excusatores desidero) Petrus Faber *lib. 3. semestr. cap. 16.* & Petrus Ærod. *depatrio iure ex principio, politissimus Annus Robertus lib. 1. rer. iudicatar. cap. 9.* qui tam solidè, tam decenter illam doctrinam tradunt, ut nemo illam hucusque negare ausus fuerit; item Camillus Borrellus, & Bachonius à Bacuna atavorum nostrorum ætate viri doctissimi: quos mecum eiusdem criminis reos facit idem Reprehensor *ead. cap. num. 9.* Plus quam quinquaginta Autatores idē sentientes habet in numerato quidā electissimus Señator meus, qui prouinciam suscepit pugnandi cum Reprehensor de hoc capite ab ipso impugnato: quos idcirco in praesenti non cieo. Si hæc ita sunt, vt serio in refudient agere incipiām; cur in me potius se invehit, quam in Fabrum, & Ærodium, quos laudiui; in Borrellum, & Bacunam, quos ipse nuncupat? Quæ inconsequentia est, portentum, nuperum errorem, & alijs de honestatis denigrare doctrinam, quia illam calculo meo comprobaui, quæ à pluribus, quam centum annis summo plausu in omnibus scholis receptissima est? Quid tamen ipse decernat, videamus? Patriam potestatem à iure Ciuali Romanorum duxisse originem:

Defensio  
funcula  
parenetica ad  
versus Repre-  
hensorum Opus  
eulorum.

Notatur I;  
bor, & incon-  
sequentia Re-  
prehensoris.

totam iuris ciuilis esse, non solum quoad ipsam patriam potestatem; sed etiam quoad rationem inducendæ patriæ potestatis, ita num. 12. in fine; vtor verbis ipsius, ne videar illi imputare pro libitu tam spissum errorem, & vt dici solet, quærere hostem, quem iugulem.

*3. Communissimæ, & vetustissimæ doctrinæ à me tantum approbatæ, vt approbabitur à quounque sincere indolis, & boni Genij Scriptore fundamenta sunt. Quia rei & economicæ respectu tres sunt homini necessariæ societates. Vt, & vxoris prima, & potissima, patris, & filij dato casu proliferationis, serui, & domini. Licet aliis esset modus querendi filios præter maris, & foeninae coniunctionem, vxoria coniunctio necessaria esset, vt vterque lexus conservaretur: quia vir alta, magnaque animo comprehendens in domesticis rebus non sigit cogitationes: foenia vero ad res ciuiles inepta, domi sedens parta à marito servat, domesticas rescusat, gubernat, dum ipse altioribus cogitationibus intentum animum versat. Pater familias, quo maiori indicio pollet, meliorique sexu valet, instruit, docet, & liberaliter non feruilitè corrigit, & emendat filios: non mater, ne alioquin ad gynæcogratiam res deveniret, & male educati à molli foenia, perversos mores Reipublicæ trastandæ adducerent. Debent ergo matri obsequium, debent patri: sed qui in familia præstantior est, potestate familiam coercet. Et quia ex hominibus alii plus corpore valent, alii præstant animo: alii operando promptiores, & robustiores sunt; alii consulendo, & imperando aptiores: necessaria fuit domini, & servi coniunctio, vt præcipiendo dominus, quod ipse viribus exequi non posset; & servus exequendo, quod nunquam ipse animo præcipere, id est antecapere posset; vterque bene invicem haberet. Ideo, & hæc coniunctio catæ physin est, id est, secundum naturam est. Modus, quo apud homines introducta fuit est anti physin, id est, contraria natura. Audiamus Aristotelem, lib. 1. politici cap. 3. ex versione Huberti Giphanij, quæ vtor. Iam vult quidem Natu-*

*Oeconomicæ  
societatis po-  
tentates.*

*Vxoria.*

*Patria.*

*Herilis.*

ra, & corpora liberorum, & servorum facere dissimilia: hæc quidem valentia ad usus necessarios: illa vero erecta, & inepta ad eiusmodi munera, sed utilia ad vitam civilem ( hæc autem tributa est in usum belli, & pacis. ) Sæpe vero est contraria accidit: ut hi quidem liberorum habeant corpora, illi vero animos. Multo tamen enim fortior captivum dicit sapien- tiorem: & hic illi servit, qui imperare deberet. Cum ergo Natura in dominos sapientiores optaverit, & per captivitates introducta sit servitus contraria hoc votum, consequens est, ut servitus, qua utuntur homines, contraria naturam sit. Ita exponendus est Iustinianus cum L. Consultis. Vide eundem Aristotelem cap. 4. & confer cum dissertatione Posidonij Historici de ortu ser- vorum apud Athenæum lib. 6. dynmosophis, vbi Ca- saubon. cum vñura erit legendus, & Gifanius ad prædicta cap. Aristotel.

4 Videamus ergo quid, & qualiter de viro erga uxorem, patreque erga liberos Philosophus sentiat eod. lib. 1. cap. 8. exposita herili potestate, sic prosequitur. Altera, inquit, potestas est patria: tertia vero coniugalis. Nam & uxori imperat, & liberis ( ut liberis quidem vtrisque ) non eodem vero imperio modo: sed uxori quidem ci- viliter, liberis vero regaliter. Mas namque, quam femina ad imperandum natura est aptior, atque etate superans, & perfe- ctum, quam id, quod etate superatur, & imperfectum. Hanc potestatem à Natura esse, secundum Naturam ex prescripto Naturæ repetit, & inculcat lib. 8. Ethicor. cap. 11. Na- tura enim, quæ in necessarijs non deficit, non potuit æconomicos Magistratus non preponere singulis fami- lijs: quibus coercendi potestate im daret, ditem tam- men, prout illam in personas disparis condicionis exer- cent. Ergo patria potestas nedum agnita, sed imperata est à Natura. Quod testatissimum est D. Thomæ, & cæ- teris Philotophi Commentatoribus. Gentes vero hanc potestatem à natura introductam informem, ex arbitrio, iudicio, amoreque Parentum pendentem, vel li- mitarunt, vel ampliarunt. Aliter Græci, aliter Barbari

Patria po-  
etas, nedum in-  
ducta, sed im-  
perata à Na-  
tura.

Patribus in filios potestatem concederunt: & ex omnibus Romanorum potestas liberrima fuit, effrænis; non tamè omni tempore, sed prioribus ab V. C. sacerulis: donec postea cæpit coangustari, & naturalem ad naturalem modum reduci. Nam & vitæ arbitriū, & acer-va castigatio sublata fuerunt: & facultas exheredandi fi- lios pro libitu adempta fuit per quærelam. Hæc nove- ruat pueri nostri, & sint tatis, ne saturnalia extendamus. Quid sit ius divinum naturale, quod à naturali simplici- tè specificè differre putat; ignorat planissimè Repre- henſor. Faxit Deus, vt aliquando prodeat syntagma no- strum de iure, & quotplex: quod si bona mente evolvat, delebit, quæ de iure civili, & Gentium scriptitavit.

*Potestas exheredandi lege Regia, & moribus concessa Patribus, coactari cæpit cautelis I. Consultorum, quas libenter sequuti fuerunt ius dicentes, & mo- res populi approbarunt. Prætextu ergo, & colore opus fuit, vt exhereditatio ritè facta rescinderetur. De quo ad utramque partem elegantè, & declaratoriè agit Apuleius 2: parte cultissimæ apologie pag. 382. & seqq. iux- ta editionem Petri Coluij; brevius tamè expressit Se- neca lib. 1. de clementia cap. 14. his verbis: Nunquid ali- quis SANVS filium ad primam offendam exheredat? Nisi magna, & multæ iniuriæ patientiam evicerint; nisi plus est, quod timeret, quām quod damnat, non accidit AD DECRE- TORIVM STILVM. Color ergo filij immerenter exhereditati fuit, quæri de patris iudicio, ranquam de in- fano, quod immemor pietatis paternæ. contrâ officium patris, delinitus novocalibus blanditijs, heredi petarum technis, fallorum amicorum suasionibus, filios posthabuisse extraneis, invrens exheredationis nota sobolem propriam, vt extraneos ditaret leg. 2. cum seqq. de in officio testam. De quo colore multæ ex multis ad- ducit Ituald. ad Donell. lib. 19. cap. 4. litt. Q. addendus est Rævard. lib. 3. coniectaneor. cap. 18. Et in communi de multis in Iurisprudentia inductis sub prætextibus Guillelmus Forner. lib. 3. select. cap. 30. Ex quo ab ini- tio*

*Potestas exheredandi lege Regia, & moribus inducta, etiæ cæpit coacta.*

*Cautelis I. Co- sultorum, præ- texitu.*

*Color, & præ- textus, quæsi insanus esset patens.*

tio opus fuit, ut filius se immerenter exheredatum probaret, cuius rei extat vestigium in leg. uam & his s. §. 1. h. t. l. 2. C. Theod. eod. t. l. ex liber. 28. C. Iustin. eod. t. vt indē de inofficiositate patris, insanoque eius iudicio per cōsequentiam Iudex inferret, testamentumque rescindere, tanquam à non sano, tanquam à furioso factum. Color non ponit veritatem, sed figmentū: non erat furiosus pater, sed ab effectu talis videbatur. Postea Iustinianus in leg. omnimodo 30. C. eod. tit. viii. est tollere coloris necessitatem: & sanxit, ut videretur testamentum inofficiolum, si sine causa iusta filius exheredatus in eo esset: quare onus probandi in heredem reiecit, & pro filio præsumptionem induxit. De eo tamen, an hodiè color necessarius sit, disputat Fulgosius cum Accursio, & Bartolo, quibus Anton. Faber accedere videtur. Nobis tamèn non licet in his qq. immorari, qui expedita adversaria pollicemur.

6 Ex quo Fulgosius in dict. l. 2. cuius iudicium sequitur cum alijs Osuald. dict. lib. 19. cap. 4. litt. P. alij que apud Nostros Valentiam lib. 3. illustr. tract. 1. de liber. & posthum. cap. 2. num. 11. Amayam lib. 3. obseruat. cap. 6. num. 3. recte censuit, colorem quæsitum fuisse à Iurisperitis, qui patrocinabantur filiis exheradatis; approbatum, & calculis sententiarū comprobatum à iudicibus ob eam causam patrum testamenta rescidentibꝫ. Et ex assiduā iurisdictione receptum vtentium moribus. Ex quo concludunt contrà Gofred. in leg. non putavit, de contrà tab. & alios veteres, civile remedium esse, non prætorium, effectusque civiles producere; quia mores nobilitissima, & maxima portio est iuris civilis, §. constat inst. de iure natural. Displicet etiam communiter magni Cujacij sententia lib. 2. obseruat. cap. 21. & multis in locis, qui lege Glicia introductam fuisse censebat, eiusque legis auctorem facit Claudium Gliciam Dictatorem, cuius meminit Epitoma Livij lib. 16. Fundamentum desumit ex epigraphhe leg. 4. de in offic. testam. quam sic legit. Gaius lib. singular. ad leg. Gliciam. Sed le-

Quomodo mor  
res invales-  
sent?

Quibus recep-  
ta quærelafuisse  
non lege Gli-  
cia.

ve est, quia in indice Pandectarum non est mentio talis monobiblij Gaij, ex quo apparet medosam esse inscriptionem. In alijsque Codicibus vetustis, quos adij, & in libro Gregorij Haloandri legitur, *Maximus ad leg. Falcid.* à quo I. *Consulto*, & libro desumitur *leg. 125. de legat.* i. & fit mentio vtriusque in praedicto Indice, ut post Auctores huius instituti cursim notavit noster Martinus Antonius Del-Rio in priorib. *ad versarijs ad Hypolitū Senecę a. f. 1. in fine.* Alia confutanda relinquimus Auctoriis proxime adductis. Sed oppones, filij exhereditati non turbant iure civili parentum testamenta, dict. I. *non putavit* 8. Sed filij exhereditati turbant parentum testamenta per quærelam. Ergo quærela non est ferenda accepta iuri civili. Respondeatur, non turbare iure civili, id est, lege xij tabular. & forsè medià Iurisprudentiâ, secundum quæ iura ad firmiter testandum sufficiebat filios exheredare. De quo iure civili intelligendus est text. Turbare tamen poltquā quærela vsu recepta fuit. Hoc textu male percepto, trepidè, & suboscure post Besoldum censet Oroz lib. 1. de apicib. iuris civil. cap. 5. num. 13. quærelam esse iuris Praetorij. Sed vidisti opinionem hanc iam reprobatam.

*Nos iure Praetorio.*

*Explicatur l.*  
non putavit  
8. de contrâ  
tab.

*Centumviri*  
*cognoscabant*  
*de causis testa-*  
*mentarij.*

*Et de quærela.*

*Numeras, et*  
*locus Tribunali-*  
*sis.*

7 Apud Centum-Viros, apud quos petitio ci-  
villishereditatis, quacunque ex causa proponebatur, l.  
petitum 30. de liberat. legat. iuncta leg. vlt. C. de petit. her-  
edit. & forsè omnes cause civiles de hereditate, & testa-  
mentis actitabantur. Paul. lib. 5. sent. tit. 16. §. 2. actum  
fuisse de quærela inofficioi testamenti, indicant text.  
in l. Titia 13. l. qui repudiantis 17. hoc tit. Quod iudicium,  
confessus, aut consistorium in ipsa Basilica Iulia, siue in  
ipso Iulij Cæsaris palatio cogebatur. Quintilianus lib.  
12. insit. cap. 5. Cui præerat Urbanus Praetor. Plin. lib.  
5. epistola ad Ruffum, Constatbat teruis Equitibus ex sin-  
gulis tribubus electis. Cumq; tribus Romanæ triginta  
& quinque essent, quod Gothofredus ad ll. XII. tabul.  
Rolinus, alijque, & noster Covarrub. cum VVefelio  
lib. 4. variar. cap. 1. ascendebat ad numerum consilium  
cen-

centum & quinque. Postea verò auctis civibus, & auctus numerus Centumvirorum fuit, & effecti centum & octoginta, remansit tamen idem nomen propter elegantiam. Osuald. ex multis, & cum cura lib. 17. ad Donnell. cap. 24. litt. V. Singuli deni singulos decuriones habebant, qui dicebantur eadem proprietate Decemviri. Francisc. Polletus lib. 1. historiae fori Romani cap. 2. ¶ 14. Hi efferebant potestatem suā hastā erēcta in loco ipso tribunalis, in ipsa Basilicā Iulia, per quos cogebantur, convocabanturq; ad iudicandum centumviri. De quibus Lucanus in epistola ad Calpurnium Pissōnem.

Seū trepidos ad iura DECEM CITAT HASTA  
VIRORVM,  
Et firmare iubet CENTENO IVDICE cauſam.

Quatenus dif-  
ferent à Re-  
cuperatorib.

Et cum cæteri iudices recuperatores, qui dati dicebantur, de questionibus facti iudicarent, per verba PARET, NON PARET, de quibus *in poematio Petronij Iurisconsultus paret, non paret habero.* Soli Centumviri de quæstione iuris cognoscabant, & pronuntiabant. Osualdus dict. lib. 17. cap. 21. litt. E. Non tamen decem iudices haic cognitioni præponebantur, sed septem; aliquando multa tribunalia confluebant, prout exigebat magnitudo cause. Hinc aliquando supponitur partem iudicantium dissentire in quærela, leg. si pars 10. hoc tit. aliquando integra non consentire tribunalii leg. cum filius 76 delegat. 2. Vnde rā de septemviralibus, quam de centumviralibus iudiciis scripsere Consulti, qui de quærela egerunt. De septemviralibus, ut agnoscunt, & forsitan præferunt Cujac. lib. 3. observat. cap. 32. ad leg. 7. 28. ¶ 3 1. hoc tit. Antonius Augustinus, & Jacob. Labittus. Ioannes verò Bertrandus de Iurisperit. lib. 1. in Paulo, retinet de centumviralibus. Sed mihi neutra displicet sententia.

¶ De causa quærelæ, ut eadem brevitate dicamus, notandum est, non esse exhereditationem, sed in-

Aliquando sep-  
teni, aliquan-  
do duo tribu-  
nalia cognos-  
cebant.

Inofficiostas  
est causa quæ-  
relæ.

officiorum statutem, qui in officio filius est in filium, infans est, siue eum exheredet, siue ex minima parte heredem faciat, ut totum ferè compendium institutionis in extraneos conferat: nam omnia, quæ nostra sunt, liberis nostris ex voto parare debemus, leg. nihil interest s. o. §. sed nunquid Praetor de bonor. libert. ideo naturalis ratio, quasi lex quædam tacita liberis parentum hereditates addicit, leg. cum ratio 7. de bonis damnat. Inseri hic debent, que dixi suprà capite 10. numero 5. Et licet quæ relâ in aliquibus conformior sit bonorum possessioni contrâ tabulas liberti, quam contrâ tabulas patris: in hoc tamen utraque bonorum possessio convenit, quod instituto non detur, & si ex modica portione patroaus institutus sit: agit tamen patronus ad supplementum; quod dicitur proprium auxilium, vel suppletio legitimæ patrono debitæ, aliquando expressè bonorum possessio appellatur, sed de nomine parum est curandum, quando de iure certò nobis constat. Ita accipiendi, & componendi sunt text. in leg. siue patronus 21. §. 1. de irrepatronat. l. 3. §. si ex debita 15. cum seqq. l. sed si ex modica 6. l. si vero 8. l. si patronus 19. l. si patronum 44. de bonis liber. §. 1. inst. de success. libert.

9. Ut ergo constaret, quæ institutio in officio non esset, certa portio statuta fuit, quæ legitima dicetur, ex qua institutus filius de officio patris queri non posset. Consentio ergo Antonio Contio de successionibus ab intestato pag. 298. quem sequitur Ræyardus in lib. de auctor. Prudent. cap. 12. qui existimat remedium hoc cum ipso morbo, cum ipsa querela natum fuisse. Sed improbatur ab eodem, & merito, quatenus statim docet ab Imperatore M. Antonino Phylosopho fuisse inductum. Plinius enim Iunior, qui sub Traiano vixit, legitimæ, & exclusionis querelæ meminit, tanquam ex iure tunc antiquo, lib. 3. epist. ad Curiannum. Si mater, in quam, te ex QVARTA scripsisset heredem, num queri posses? Cum ergo de tempore ipso querelæ introductæ nihil certum ita tueremur possimus, quia sensim, moribusque vten-

*Similitudo bonorum possess. contrâ tabul. liberti, & patris.*

*Legitima fuit introducere ad excludendam querelam.*

*Eo ipso tempore, quo querela.*

uentium recepta fuit; nisi quod ante Tiberium natam ex multis Valerij Maximi testimonij, qui sub Tiberio vixit, colligere vallemus: consequens est, ut nihil etiā certum statueremus de tempore, quo fuit præcepta portio legitima. Addendus Osuald. dict. lib. 19. cap. 4. litt. Y.

10 Ut de quota dicamus, fuit quarta pars. In hac verò comperiēda digladiati olim fuerunt Ioannes, & Martinus. Ille totius hereditatis fuisse putabat: hic verò illius portionis, quam quilibet filius ab intestato erat latus. Ioannis tenuit etiam videtur amplecti Accursius, sed iam in hanc postremam communiter itum est, quæ citrā tergiversationem probatur ex dict. l. Papinianus §. quoniam & §. unde. De damnatorum verò substantia dimidia pars filijs debetur, ut post alios compertuit noster Don Nicol. Antonius lib. 2. de exilio cap. 22. Sed hoc tantum probat, indu gentiores fuisse Principes contra suum filium, quam contraria heredes a patribus scriptos. Leges nostri Regni valde restringunt patrib. testandi facultatem, si filios, nepotesve; immo si ascendentibus habeant: tantum enim de quinto, vel tertio ipsis permittunt disponere in eorum præiudicium. An in tantum facultas disponendi patribus restringi oportuerit, in nimiam filiorum securitatem ab extraneis, & consanguineis: an etiam necessitas haec debeat comprehendere fratres, & consanguineos a metu hereditarum: ne tot bona à familijs exeat, & ad alios heredes sanguine non coniunctos devolvantur? Sunt qui ad partes dispergunt; & Nos dicemus in nostro tractatu de iure naturali.

11 Portio haec, quo cunque modo relinquetur, satis faciebat olim filijs, ne iuste quererentur. Itaque siue relinquetur per mortis causam donationem, siue caperet filius ab herede extraneo, vel legatario conditionis implenda gratiâ; quarelam perferrere non potuit, dict. l. Papinianus. §. si conditioni, & §. si quis mortis causa, latè Osuald. dict. lib. 19. cap. 4. litt. II. & KK. & ll. Ex his

*Eft quarta  
pars portionis  
legitimæ.*

*Maior fuit fi-  
liorum dam-  
nati.*

*Quomodo liber  
relinqueretur,  
sat erat.*

appa.

apparet, non esse opus secundum ius illud, ut ex bonis patris filius ferat legitimam; sed unde cunque modo illam habeat ex iudicio patris. In quo distat legitima filii a legitima patroni, quam non tantum ex iudicio liberti, sed ex eius bonis patronus percipere debet, leg. si vero 8. §. quare 4. de bonis libert. & à Falcidia, quæ deducenda est nedam de bonis testatoris, sed heredis titulo, & iure, leg. in quartam 91. cum similib. ad leg. Falcid. notwithstanding Bart. Angelus, & alij in dict. §. si conditioni: quidquid refragentur Fulgos. & Faber. Quinimò si minus quartà pater filio reliquerit, sed expresso animo, ut computaretur ad legitimam, quæ relata non nascebatur. Paulus lib. 4. sentent. tit. 5. §. 7. l. si non mortis 25. hoc tit. quæ sic exponunt multi apud nostrum Pichard. in §. vlt. inst. eod. tit. ex num. 29. & Osuald. ad Donell. dict. lib. 19. cap. 4. litt. K. quanvis Accursius verbo repleatur, Antonius Fab. de errorib. decad. 40. error. 5. cautionem illam novo iuri attribuerint. Hodiè non requiritur, ut animo imputandi in quartam relinquatur, nec ex minima parte institutus quærelam habet; sed ex constitutione Iustiniani ad supplementum agit. leg. omnimodo 30. C. hoc tit. Quæ olim ex fructibus medio tempore perceptis repleri poterat, dict. l. Papinianus 8. §. unde, donec Iustinianus favens filiis iussit repleri ex bonis, non ex fructibus, nec tantum hæc constitutio prospexit filijs, sed nepotibus, patribus, avis, & omnibus, qui de inofficio-foto testamento queri possent, leg. scimus 36. §. repletionem C. eod. tit. Quod antea incepérat in favorem filiorum primi gradus statuere circa Falcidiā, in leg. iubemus 6. C. ad S. C. Trebell. quæ anterior est. Sic utraque constitutio enarrati debet, & notari correctio dict. §. unde, quod fecerunt Bartol. & Antiqui, melius quam Antonius Faber, qui pro more in illo textu diligentiam Triboniani taxavit.

12 Cum ergo qui quartam habet, quærelam proponere non possit, consequens est, ut Falcidia faciat cessare quærelam, leg. coherediti 41. §. cum filia, de vulgari. l. quan-

*Etiā si non  
ex bonis testa-  
toris, modo ex  
iudicio.*

*Sufficiebat, li-  
cet minus re-  
linqueretur,  
quod animo  
imputandi es-  
set reliquum.*

*Explicantur  
1. si non mor-  
tis 25. l. leg.  
omnimodo  
30. C. hoc t.  
l. iubemus 6.  
C. ad Treb.*

*Falcidia ex-  
cludit quære-  
lam.*

I. quanquam, C. ad leg. Falcid. vt notat Goveanus in rub. ad leg. Falcid. ex num. 7. Nunquam iure civilli duplex quarta, aut duplex legitima deducitur; si patrenus deducit legitimam sibi debitam iure Papiae legis, vel prætorio, non deducit Falcidiā, leg. I. §. interdum 14. & cui plus, quam per leg. Falcid. licuerit. si contentus est Falcidiā, non potest deducere legitimam sibi vt patrono debitam leg. ex affe 52. ad leg. Falcid. in quo alia est cautio iuris Canonici, alia iuris Civilis. Secundūm ius Canonicum utraque quarta deducitur à filio, & naturalis, & Falcid. cap. Raynaldus, cap. Raynutius de testam. vt observavit Faber decad. 11. error. 7. De quo longam disputationem, & prolixam attexuit Carvallus de vna, & altera quarta I. part. à princip. usque ad num. 80. vbi de iure Civili sine auctoritate, sine ratione contrarium vult suadere, sed frustra. Quarta etiam Antonina, quæ virtute cautionis debetur impuberi adrogato, impedit quærelam dict. leg. Papinianus 8. §. si quis impubes. Quod novissimo iure valere docet Goveanus in dict. rub. num. 10. adeò vt nec aliam naturalem, nec Falcidiā petere possit, sed vna contentus sit. Sed de hac legitima duplex novela constitutio à Iustiniano emissa fuit. Altera in authenticō de triente, & semiſe, vndē extrahitur auth. novissima, C. hoc tit. quā aust̄a fuit portio, & caustum, vt triens, velse mis sit pro numero liberorum. Altera in authenticō vt cum de appellat. cognoscitur, §. aliud quoque capitulum, collat. 8. In illa statuitur, vt sufficiat relinqui legitimam quovis reliqui titulo: in secunda enuntiatur, vel per suppositionē dicitur, relinquendam esse honorario titulo institutionis. Ex qua verborum differentia questio orta est inter nostros Interpretes, an hodie iuri Digestorum, Codicis, & novellarum derogatum sit, vt debeat necessario relinqui ex causa institutionis. Communis sententia est, titulo institutionis esse relinquendam. Vide Costam in cap. si pater I. part. verbo instituit ex num. 22. Pichard. in §. igitur, hoc tit. ex num. 20. & latissimè Caldam ibidem, & ab his laudatos. Per contrarium D. Larreatigui lib. 7.

Iure civili nū-  
quam duplex  
quarta deduci-  
tur: secūs iure  
Canonico.

Questio, an  
hodie relinque-  
da sit legitimā  
tit. institutionis.

*select. cap. 6.* nihil esse innovatum contendit. Nec infi-  
cior, eius sententiam magis convenientem esse menti-  
Iustiniani. Nonnulli etiam ex veteribus censuerunt, ti-  
tulo institutionis debere relinquī legitimam iure Di-  
gestorum, moti suppositione *text.* *in leg. posthumus 6. de*  
*L. posthumus in off. testam. ibi. Cureum heredem non scriptit.* Ergò posthu-  
*6. hoc sit.* mus heres non scriptus, exhereditatusque, licet ampla  
acceperit legata, potest de inofficio quæsti. Respon-  
det tamen cum iudicio Costa *in §. posthumus. inst. de legat.*  
*num. 16.* in posthumo id verum esse, qui heres institu-  
tus bonorum possessionem secundum tabulas petere po-  
tuit *princip. inst. de honor. possess.* ipsi tamen legari nihil  
potuit iure vetere, si alienus erat, *§. posthumus inst. de legat.*  
Quæ de his communibus rudimentis quasi in transcarfu-  
dixisse sufficiat.

## CAPVT XVII.

### EXPLICATVR L. PAPINIANVS 8. §. quarta, hoc tit..

**A**NTIQVORIBVS non fuit visus hic lo-  
cus admodum difficilis; Antonius verò  
Faber in eo expugnando, refellendoque  
Triboniano ingenij exercuit vires, ex quo  
in scholis subsecurus cœpit reputari. Deniq; Iosephus  
Santolaria subtilis Primarius Oscensis *lib. 1. interpreta-*  
*tionum 1. Consultorum delecti iudicij cap. 4.* tam latè pro  
Vlpiano dimicavit, tamque fortiter contra Fabrum, ut  
verear, ne plures difficultates excitaverit, sedaveritq;  
quām sit necessē. Ego ab ipsis, Classicisque edictus, &  
ex nostra penū sine ambitione nonnullis additis, existi-  
mo; me posse breviter dilucidam reddere Vlpiani sen-  
tentiam. Prima propositio Vlpiani est hæc. *Quarta ac-*  
*cipietur*

*Quarta accipi-  
tur deducto are-  
silio.*

cipietur deducto ære alieno, & funeris impensa. Id est, ad ineundam computationem bonorum, ex quibus quarta detrahenda est, prius subducitur, decomputatur æs alienum, & funeris impensa; & ex bonis, quæ supersunt sine his oneribus, detrahitur quarta. Idem in Falcidia docemur in §. vlt. inst. de leg. Falcid. l. in quantitate 73. eod. tit. Ex quo deducunt vulgo, esse quartam bonorum, quia bona dicuntur, quæ supersunt deducto ære alieno, & funeris impensa, leg. si quis servum 8. §. vlt. de legat. 2. l. sub signatum 39. §. bona, de verb. significat. De quo nimis latè, & prolixè disputat Osuald. dict. lib. 19. cap. 4. litt. EE.

2. Sequitur secunda propositio illis verbis: Sed an libertates quartam minuant, videndum est; & nunquid minuant: ita hæc verba scribuntur lineolis interpositis in libro Florentino. Quæstio est duplici clausula repetitæ: an libertates quartam minuant; nunquid libertates quartam minuant? Si est vitiosa repetitio non debet imputari Triboniano, sed scriptoribus. Disputat Vlpianus, ut securius decidat. Heres, inquit, ex asse institutus, licet tota hereditas delibata sit legatis, licet nihil emolumenti penè eum resideat, ideo non potest queri de inofficio, quia habet quartam Falcidiæ, quæ est pro quarta ex naturali pietate debita filio. Nam, qui Falcidiæ habet, quartam legitimam non deducit. Sed Falcidia minuitur per libertates. Adeò quidem, ut si servus alienus, vel heredis iubeatur manumitti, premium eius detrahendum sit, l. æris alieni 39. ad l. Falcid. Ergo & legitima minui debet. Arguit à potiori. Falcidia excludit quærelam: Falcidia non minuit libertates. Ergo legitima non minuit libertates. Oppones. Manumissiones factæ in fraudem patroni non sublinentur tota. tit. si quid in fraudem patroni. Item in fraudem quartæ adrogati leg. vlt. eod. tit. Quia lex Ælia Sentia prospexit quibuscumque creditoribus ex quacunque causa, leg. si cū fideicommisa 16. §. ne quis 2. l. in fraudem 27. versic. ex omnicausa, qui & à quib. manumissi. Ergo nec substineri de-

*Non minuit libertates;*

bent in fraude legitimę filio naturaliter debite. Respō-  
deo, patrono deberi legitimam ex l. Papia, vel ex edi-  
cto Prætoris. Adrogato deberi quartā ex promissione,  
quam adrogans facit virtute constitutionis Antonini  
Pij. Filio verò non debetur ex legibus, aut contractu,  
sed ex pietate. Illud est verum debitum, siue legale: hoc  
est debitum improprium, siue morale. Petrus Faber lib.  
2. femestr. cap. 1. pag. 6. & 7. Antonius in Papinianā tit 3.  
princ. 2. illat. 3. Annæus Robert. lib. 3. rer. iudicat. cap.  
16. Hugo Grotius lib. 2. de iure belli, & pacis cap. 7. §. 5.  
Dixi in Academicō tract. de obligat. natur. sect. 1. Instabis.  
Ergò melior conditio est filij impuberis adrogati, &  
patroni; quam filij naturalis. Ergò ius est iniquum. Er-  
gò plus favet canibus, id est, servis, quam filijs. Repo-  
nam, id per consequentias evenire: nec facile, hoc est,  
metuendum; nec fortè eveniet; & tantum scientiæ  
causa disputatur. Cum enim nullus sit amor, qui vincat  
paternum, leg. vlt. C. decurator. furiosi. Benè potuit ius  
confidere, de patribus, quanvis huic inopinabili causui  
remedium non paraverit.

3 Consequentē superioribus docet in versic:  
cum igitur, si proponatur pater, qui in servis habeat to-  
tam patrimonij substantiam, posse excludere quærelā,  
filio herede ex asse instituto, si omnes servos liberos in  
testamento esse iusserit. Primo quippe excluditur Fal-  
cidia: quia Falcidia non minuit libertates: per conse-  
quens excluditur deductio legitimę; quia non est ma-  
gis favorabilis, quam Falcidia. Consequentia est opti-  
ma; sed videtur de subiecto non supponenti ex duplice  
capite. Primo, quia solus proponitur filius institutus.  
Ergò non dantur termini, secundum quos possit move-  
ri quærela: quia contrā se ipsum illam exercere non po-  
test. Hoc torsit Antonium. Sed sine ratione. Quia quæ-  
relam excludere in hoc textu sumitur ex sequenti hy-  
pothesi, quam statim enarrabo: nempè quando repu-  
diante filio, & adeunte substituto, locus posset dari quæ-  
rela: qui casus non potest evenire in specie, quam ver-  
itat

*Quid filius est  
improprius cre-  
ditor, siue mo-  
ralis, in quo di-  
gert à patro-  
no, & ab im-  
pubere adroga-  
to.*

*Manumissa to-  
tā familia, nec  
est locus detra-  
ctioni Falcidi-  
æ, nec legi-  
time.*

*Quæ suppositio  
in herede suo  
verificatur.*

sat Vlpianus in hoc versic. quia loquitur de suo: idecirco docet, servata hypothesi, non esse locum quærelæ. Deinde quia suppositio manumittendi omnes servos, videtur contra providentiam, aut prohibitionem legis Fusæ Caninæ, quæ tempore Vlpiani vigebat: per quam certus modus constitutus erat servis testamento manumittendis, ultra quem si manumitterentur, posteriori loco nominati non consequebantur libertatem. Gaius lib. 1. instit. tit. 2. in princip. Paulus lib. 4. sentent. tit. 14. §. vlt. Vlpian. in fragm. regular. titul. 1. §. lex Furia 23. Quod si in rota, in circulo, confusè manumitterentur, sic, omnes servi mei liberisunto, invicem libertas impediatur. Gaius dict. titul. 2. §. 3. quem illustrat Andreas Tiraquell. de iure primogeni. question. 19. ex num. 6. Alij sunt, qui per hoc supponant, testatorem duos servos tantum in patrimonio habuisse: ad quem numerum non pertinuit legis Fusæ prohibitio: quo in casu verificatur termini disputationis Vlpiani, quod satis est ad evitandum inconveniens. Alij, qui censeant, testatorem faisse oberratum, & ex seruis nominatum in testamento manumissis, aliquot non potuisse consequi libertatem propter legem Aliam Sentiam; alios vero, qui dimissis creditoribus supererant, non impediente lege Fusæ, quia ultra numerum manumissi non sunt, liberos factos fuissent, ut sic & propriæ alienum, & propter libertates legitima prorsus exhaustiretur. Alij etiam aliter apud Osuald. ad Donell. dict. lib. 19. cap. 4. litt. FF. Nec admodum difficile erit in Iurisprudentia versato casus, vel effugia querere. Mihi vero placet simplicitas legibus amica, ut alibi ait Iustinianus; & non dubito, quin Vlpianus in proposita specie legis Fusæ mentionem fecerit: quod & egregio Cujacio placuit: vel supponens, testatorem remissionem eius à Principe impetrasse, quod aliquando fecisse circæ leges testamentarias innuitur in leg. si quando 35. C. hoc tit. vel quædam parenthesi includens, nisi lex Fusæ obsteret. Quam mentionem sine piaculo, & cum laude ablusterunt Compositores, ut

Nec obstat pro  
bibitio legis  
Fusæ.

Rationes.

expeditius disputatio procederet: cum iam lex illa fuisset per Iustinianum sublata.

4 In versic. NISI FORTE, cautelam proponit Vlpianus, siue consilium praebet filio, ut excludat fraudem, quam ei obtendit pater manumittendo totā familiā. Notanda est littera huius versiculi, quia ex ea pendet tota textus decisio. *Nisi forte, inquit, hic filius, si non fuit in potestate, a patre heres institutus merito omittit hereditatem: ad substitutum transmittens, quærelam in officiis instituet, vel ab intestato citra edicti pœnam habeat hereditatem.* Hoc consilium expreſſe praebet Vlpianus filio instituto, si in potestate non sit, si sit emancipatus. Igitur filius in potestate constitutus non potest eludere fraudem patris: licet omittat hereditatem, ut eam ab intestato possideat: vel licet habeat substitutum. Videamus cur ita? Quia statim à morte patris, ante abstensionē per nudā existentiā sui heredis cōpetunt directæ libertates, l. sciendū 3 z. de manumiss. testam. l. 3. C. de testam. manumiss. l. cū quasi 3. o. §. sed & si suis 10. defideicom. liber. quod suprà manet animadversum. Ergo licet abstineat, iam manent liberi omnes servi in testamento patris manumissi. Hinc apparet, contrà textus litteram censuisse Glos- sam, tolli suitatem per dationem substituti vulgaris: quia expreſſe sentit Vlpianus, cautelam omittendi hereditatem, ut ad substitutum perveniat, nec competant libertates, tantum habere locum in filio, qui non est in potestate. Ergo sentit, competituras esse libertates, nec cautelæ esse locum, si in potestate sit. Costa ex vere- ribus aliter distinxit; nempe, ut facta sic, si filius heres nō erit, nec voluerit heres esse, tollat suitatem; ita verò facta, si heres non erit, non tollat, ita in c. si pater 1. p. verbo, dece- deret ex num. 9. iuncto eodem, ne sibi contrarium esse existimemus, in eodem cap. 2. parte, verbo, ac deinde filio, ex num. 6. Verum si ab ipsis I. Consultis docendi sumus, tantum discemus, per emancipationem dissolvi patriā potestatem, per exheredationem extingui suitatem, l. in suis 11. de liber. & posth. per dationem substituti, aut

Emancipat<sup>o</sup>,  
si repudiet, e-  
cludit liberta-  
tes, suus non  
potest.

*Quia compe-  
tunt ex nuda  
existentiā sui.*

per adiectionem conditionis, si volet heres esse, tolli necessitatem. Quia ut filatio à patria potestate separatur per emancipationem: ita necessitas, quæ respicit favorem patris, separatur à suitate, quæ est qualitas favore filij inducta, per substitutum, aut per prædicam conditionem, per quas pater filio videtur remittere ius necessarij heredis, quod in eo habet; nihil tamè dergans suitati, quæ tota filij est, & in eius favorem, *l. Cornelius* 69*l.* *iam dubitari* 86*. de hered. inst. l. 1. §. quis sunt in potestate* 7*. si quis omisso causa testamenti.* Quod latè, & post multos docent contrà Antonium Gomez, & Sarmientum, aliosque vetusiores Primarij nostri Pichardus in §. ita denum, ex num. 12*. inst. de heredit. quæ ab intest. defer.* Valentia lib. 3*. illustr. tract. 1. de liber. & posthumi. cap. 4. ferè per totum.*

5 Ex dictis apparet totam disputationem huius §. accipiendam esse de filio herede instituto, cuius existentia ipso iure confirmat libertates in testamento relietas, licet velit abstinere. In emancipato verò non ita procedere: quia cum extraneus sit, si repudiat hereditatem, & transit ad substitutum, contrà illum potest quarelam movere. Vel si substitutus repudiet, vel substitutum non habeat, destituitur testamentum, nihil valet, quod testamento relictum est, non substitutur libertates; & possidet hereditatem ab intestato ex edicto unde liberi: nec metuit edictum, si quis omisso causa testam. quia illud edictum punit fraudem repudiantis: filius verò, qui patris fraudem excludit, fraude non facit, *l. quia autem* 6*. §. non simpliciter, si quis omisso causa testam. leg. cum pater*

*77. §. Titio 3 r. de legat.*

2. Nec quidquam  
præterea est  
in hoc §.



CAPVT

*Substitutio  
vulgaris non  
tollit suitatē.*

*Epilogus. Et  
cur repudiatis  
emancipatus  
non incidat in  
edictum si quis  
omisso causa  
testam.*

## CAPVT XVIII.

QVIBVS, ET ADVERSVS  
quos quærela competit?

Competit filijs  
superstitibus,  
& posthumis.

Adoptionis e-  
tiam.

Et spurijs con-  
trà testamentū  
matris.

Nepotibus.

**F**ILIIS naturalibus, siue suis, siue emancipatis competit se contrà parentum testamēta, prodit Iustinianus *sub hoc tit. & ex l. 2. & seqq. eod. titul.* colligitur. Posthumis etiā competit leg. posthumus 6. eod. titul. Et adoptivis, quod perspici potest ex longa Consulti disceptatione *in leg. quidam 132. de verb. obligat.* quam non moror, *iunct. leg. Papinianus 8. §. sed nec impuberis.* hoc tit. Quod immutatum est per novam Iustiniani constitutionem, de qua *in l. cum in adoptivis 10. C. de adoptionib.* Contrà testamentum patris, & contrà testamentum matris (vt de posthumis iterū agam) quiā postquam obtinuit, alienos quoque posthumos legitimos nobis heredes fieri *leg. à fratri posthumo penul. de legat. 1. & extraneos institutos bonorum possessionem secundum tabulas petere posse, princip. inst. de honor. possess.* Omnia remedia rescisoria ipsius attributa fuerunt, vt bonorum possessio contrà tabulas patris, aut avi: & si ex emancipato sperretur. Et quærela tam contrà testamentum matris, quam patris. Optimè Costa *in §. posthumus, num. 16. & 19. inst. de legat.* Spuria etiam filia potest de inofficio testamento matris queri, vt supponitur *in leg. si suspecta 29. §. 1. hoc titul.*

**2** Hæc certa sunt: dicamus aliquid conjectaneum ingenij causa, sub doctiorum tamè lima, & censurā. Nepotibus quærelam competere, vt filijs, contrà avorum testamenta, certum mihi est, vt competit bonorum possessio contrà tabulas iuxta superius notata. Videamus, an etiam filiabus exheredatis competit se contrà

contrà patrum testamenta? quia illis ex rescripto Antonini Pij fuit denegata bonorum possessio contrà tabulas, ut su prà probavi ex leg. maximum vitium 4. C. de liber. præter. Certum est, præteritas, quanvis in potestate cœlent, non potuisse dicere nullum patris testamentum, princip. inst. versic. sed non ita, de exhered. liber. quod Prætoreis non observarunt in bonorum possessione contrà tabulas impertienda, donec Antoninus Pius, testante Iustiniano in dict. l. maximum vitium 4. iussit, ut impe- trarent possessorias actiones pro parte, quam ex iure ac- crescendi poterant consequi agendo iure civili. Cen- tumviri aliam differentiam inter filias, filiosque intro- duxerunt, ut prodidit ibi Vlpianus: nam præteritis per ius accrescendi attribuebatur semis; qui onerabatur omnibus legatis, tam extraneis, quam exceptis personis relictis; unde si legatis exhaustus erat, sescuncia sola re- manebat apud filiam ratione Falcidix. Sescuncia est quadrans semissis. Quod si erat exheredata omni modo quarta pars totius substantiae ei relinquie debebat. Ex quo Iusti- nianus infert, melioris esse conditionis filiam exhere- datam, quam præteritam. Extat apud Tryphoninum similis consequentia in leg. filium 20. in fine de contrà tab. quam suprà exposui. Vnde suspicor, exheredatas quæ- rentes de patris testamento, non rescidisse illud in solidum, nec devoluisse rem ad causam intestati, nisi pro parte. Hæc tamè pars fuit semis; quia Centumviri liberalius se gesserunt erga filias, quam Pius Imperator, ut Iustinianus sentit. Sed Imperator Antoninus con- celsit possessorias actiones vique ad semissem præteri- tis. Igitur non minorem partem concederunt Centu- viri, quod mihi probat dissentus text. in l. pater 6. de col- lat. dotis. Ex qua constat, libertates competere, quia nō rescinditur totum testamentum, sed tantum pro dimi- dia parte subducuntur bona: arg. ex l. cum filius 76. de legat. 2. constat etiam subduci semissem à filia exhereda- data. Et collationi locum non esse, ut nec ipsa dotem conseruat, nec frater emancipatus bona. Quia nec suc-

Et filibus, ex  
prudentia Ce-  
tumvirorum,  
qualis hæc?  
Exponitur leg.  
maximum vi-  
tium 4. C. de  
lib. præt.

ceditur ab intestato, nec per contrà tabulas: nec eodem iure, vt dixi suprà ad leg. filium 20. de contrà tab. Aliter hunc textum accipiunt Aecursi. & Cujac. lib. 6. RR. Papin. & noster Amaya lib. 1. obseruat. cap. 17. ex num. 29. qui ad hanc observationem non adverterunt. Hæc cum ita sint, videamus, quid sibi voluerit Iustin. in dict. leg. 4. cum docuerit, omnimodo quartam partem totius substantiæ Centumviros filiæ exhereditatæ concetsisse. Exstimo seculum petendum esse ex comparatione præcedentis speciei: nempe, si filia possessorias impetrat actiones pro semisse, & hereditas exhausta sit legatis, tantum lucrabatur Falcidiæ, quæ ascendit tantum ad sesquiciam. Exheredita verò semissim per quæ relam cōsequebatur, non exoneratum legatis, sed non exhaustū. in tantum, vt ad minus totius hereditatis quadrantem, quāvis excederet portionem Falcidiæ, deberet retinere. Non negat ergo Iustinianus, semissim fuisse concessum filiæ per Centumviros; sed asserit, nūquā potuisse manere cum minore parte, quam cum prædicto quadrante. Iuxta quam suppositionem non incommodè accipi possunt text. Antonini, & Alexandri in leg. nepotem 7. l. parentibus 8. C. hoc tit. qui indistinctè loquuntur. Sub Diocletiano tamè totam hereditatem evicisse, maximè extraneo instituto, probat dissertè tex. in l. si maritus 22. C. h eod. t. Deniq; Leo cōstituit in l. vt liber. 17 C. de collationib. etiam fratribus heredibus institutis posse filias de inofficio agere, & rem ad causam intestati reducere, vt intè omnes locus sit collationi, abrogatâ Papiniani decisione in dict. l. pater 6. ff. eod. tit. Quod à plerisque observatur, licet hanc temporum distinctionem non faciant. Ex quo forte Iustinianus in dict. princ. ins. de exheredit. liber. dixit, antiquitati fuisse observatum, vt si non fuissent scripti, scriptæve nepotes, aut filiæ, testamentum non everterent, sed ius accrescendi eis daretur. Expendo verba, antiquitati fuerat observatum: quæ denotant ius illud antiquitus viguisse, sed ad Iustiniani tempora omnino, siue quoad omnes modos evertendi

Sub Dioclecia  
no,

Et Leone totū  
testamentum  
evertebant.

Exponitur  
princ. instit.  
versic. sed non  
ita, de exher-  
bit.

tendi testamentum, non pervenisse. Quæ de hac conjectura attigisse sufficiat.

3 Competit etiam quæ relata parentibus, quo nomine comprehenduntur utriusque sexus ascentes, leg. pater 14. cum seq. l. ad versus 30. hoc tit. in hac l. extat extensio regulæ. leg. liberi 28. Cod. eod. tit. Pater, qui emancipavit filium contractâ fiduciâ, gerit vices duarum personarum: est pater, & est instar patroni: quia pater est, habet quærelam: quia est manumissor, habet bonorum possessionem contrâ tabulas filij, instar patroni. Nec enim officere debet patri, quod decursus sollemnitatibus filium emancipasset, ut perdat quærelam: quam haberet, si emancipasset simpliciter l. 1. §. vlt. si à parente quis fuerit manum. Ut post Vigilium, Cujacium, & alios dixi lib. 1. Opusculor. cap. 22. ex num. 21. A qua dispositione discedit, pro more, D. Hieronym. de Oroz de apicib. iuris civil. lib. 1. cap. 5. ex num. 13. capiens, captansye illa verba, sine manumissione pro ante emancipationem. Ut fundet desperatam illam utriusque Antonij Fabri, & Pichardi, opinionem; filium, nempe familias capacem fuisse iure Digestorum dominij. Quā iam proscriptis, vel potius contempserit schola. Non immoror in novella explicatione refellenda, ne à lineis abeam. Ergo quanvis extremum adiutorium dicatur quærela, ex quo non competit, qui alio auxilio munitus est, dict. leg. maximum vitium 4. C. de lib. præter. nec competere possit filio simul bonorum possessio contrâ tabulas patris, & quærela: tamè ex dictis constat patrē simul habere, & sub electione, quærelam, & bonorum possessionem contrâ tabulas filij. Omitto, quæ docent aliqui apud Osuald. dict. lib. 19. cap. 4. litt. N. Ratio enim ex eo provenit, quod bonorum possessio, quæ datur patri, est instar eius, quam habet patronus. Hæc vero similis est quærelæ; rescindit enim non tantum iudicium, sed testamentum, pro qua parte competit, leg. filius 42. ubi notatur, de bonis libert. Cum bonorum possessio contrâ tabulas patris rescindat iudicium, leg. 1.

*Competit etiā  
Parentib.*

*Pater manus  
missor contra  
tabulas, & de  
inofficio age  
re potuit.*

*Explicatur l. 1.  
o. vlt. si à pa  
rent. quis fue  
rit manumiss.*

*Ratio cur in  
patre utrumq;  
remedium con  
currat, non in  
filio.*

dē legat. prāfī. sed conservet successionem testamentariam, §. sunt autem 3. inst. de bonorum possēs. Ideò quærela, & bonorum possēsio contrā tabulas filij cumdem exitum habent, & ob id concurrunt. Remedia verò, quę conceduntur filio, diversum exitum habent, & ideo non concurrunt.

4. De fratribus, sororibusque, & cæteris ex latere consanguineis, non concors omnia sententia est; nonnulli apud Osuald. dīct. cap. 4. litt. H. censuerunt non tantum olim fratribus competisse quærelam; sed etiam alijs, per texti. in leg. 1. hoc tit. vbi Consultus ait, cognatos movere quærelam ferè cum nulla spe vineendi. Ergò aliquando fortè vincebant, si optimæ frugi, & egregijs beneficijs testatorem prosequuti, vilissimis heredibus posthabiti fuissent. Alias nullum probum sensum accipiunt verba Consulti, à quibus se non potuit expedire subtilis Antonius in ration. Diocletiani ætate frustra dicebant in officiolum testamentum omnes præter fratres, & sorores, l. fratrīs 21. C. hoc tit. adnittebantur verò fratres, vel sorores in distinctè. Postea Constantinus in l. 1. C. Theod. hoc tit. quæ extat in l. fratres 27. C. eod. in Iustin. restrinxit ad fratres consanguineos, non vterinos, qui quæri de inofficio possent, turpibus personis scriptis heredib. In quo potest dici hæc nova constitutio. Vide Osuald. vbi prox. litt. H. Quæ olim fuisse legitima fratrū disputat Fab. decad. 11. err. 9. centrum que cum iudicio regulandam esse ex numero personarū iuxta auth. novissima; C. hoc tit.

*Confanguineis  
ex latere eriā  
competit, sed  
vix cum spe ob  
tinendi. Expo  
nitur l. 1. hoc  
tit.*

*Diocletianus  
primo restrin-  
xit ad fratres.*

*Constantinus  
ad fratres con-  
sanguineos tur-  
pibus heredib.  
scriptis.*

*Non semper,  
qui vincebat,  
ferebat heredi-  
tam.*

5. Nec fuit ordo olim præscriptus his, quā quærelam perferebant: si essent exhereditati, præteritive filii, & parentes, vel consanguinei, qui præoccupabat, si nemo proximior eum repelleret, litem agebat, rescindebatque testamentum, & rem ad causam intestati devoluebat: sed victoria proderat ei, qui ab intestato prior erat; potioremque gradum obtinebat, l. 1. l. posthumus 6. §. i. hoc t. notat, & exemplis illustrat Costa in §. Et quid si tantum 3<sup>is</sup> part. exnum. 152.

Ex filiis respectu patris, tantum competit quærela exheredatis. Sed respectu matris etiam præteritis; quia præteritio matris pro exheredatione fuit. l. 4. §. ad testamenta, de contrâ tabul. §. vlt. inst. de exhered. liber. Cæteris, in quibus inepta erat exheredatio, l. quidam cum filium 132. de verb. obligation. tam frustrâ exhereditis, quam præteritis. Nec peccabat in forma exhereditatio, quanvis causa exheredationis expressa non esset, imò licet sine causa fieret. Ideo posthumus exheredari potuit, & quærela indiguit ad rescindendum iudicium, testamentumque patris dict. l. posthumus 6. hoc tit. Hodie ex nova Iustiniani constitutione, quam idcirco posteriorem Institutionibus esse censeo, in l. cum in suo 33. §. vlt. C. hoc tit. nec infans, nec posthumus per consequens, exheredari possunt, ut potè immarentes; nec indigent quærela, sed iure ordinario matris, addo & patris, hereditatem vindicare possunt. In hac questione tota controversia erat de meritis filij, ut inquit Tryphoninus in leg. filius 22. hoc tit. Filius se immerenter exheredatum contendebat; per contrarium heres initebatur probare, meritis de causis à patre fuisse exheredatum, ut iuxta veriorem lectionem afferit Paulus in leg. cum ratio 7. de bonis damnat. quanvis nonnulli libri habent certis de causis, quapi lectionem Veteres fuerunt sequuti; & cum illis Costa in dict. §. & quid si tantum 3. part. num. 79. & 80. Arbitrium vero penes Centumviros fuit decernendi, qualis esset iuxta causa exhereditationis. Et super ea re multoties consultos fuisse ipsos Imperatores colligimus ex leg. in arenam 11. l. si filium 19. l. filia 20. C. hoc tit. Donec Iustinianus iustas causas exhereditationis circâ filios, & patres diffinivit novella 115. cap. 3. siue in authenticâ ut cum de appellatione cognosc. §. aliud quoque capitalum versic. causas autem collat. 8. vnde exrahitur ultima auth. C. hoc tit. Ut iudicibus certâ lege adstrictis arbitrium decernendi adimeretur. Ex qua constitutione, & ex alia priore, quæ extat in leg. omnimodo 30. C. hoc tit. causa exprimi debuit in ipsa exhereda-

Olim sine causa substinebatur exhereditatio.

Vt posthumus exheredari posset.

Quod noviter correctum.

Ex arbitrio centumvirorum pendebat, que esset iusta exhereditationis causa.

Nonnunquam consulebantur C. eff.

Iustinianus causas diffinivit, & formâ exhereditationis prabuit.

tione, & ab herede probari: alioquin filius tanquam nō iustè, nec ritè exheredatus, & per consequens præteritus, directò potest vindicare paternam hereditatem, si ne necessitate quarelx. Quæ principia melius, aperi-  
tiūs alijs percalluit magnus Cujac. ad nouell. 18. col. 4.  
¶ 5.

Explicatur  
text. in l. 3. §.  
si emancipat⁹  
§. de contrā  
tabul.

7 In hac inspectione vix est textus notatu dignus, prætèr l. 3. §. siemancipatus §. de contratabul. Proponitur filius emancipatus, qui vxore ducta sine voluntate patris, filium ex eo matrimonio suscepit: filius hic fuit iustus, ex iusto, & legitimo matrimonio susceptus: nam filius emancipatus legitimè dicit uxorem sine consensu patris; l. filius 25. de ritu nuptiar. Decessit filius emancipatus, id est, nepotis pater: quo nepos incæpit occupare primum gradum in familia naturali avi: nunquam fuit, nec esse potuit nepos in familia civili avi, quia conceptus fuit post emancipationem filij: sed Prætor ad dandam bonorum possessionem considerat familiā naturalē, vt manet notatum pro explicatione eiusdem l. 3. §. si pater 9. Avus nepotem hunc præterivit: quæritur, vtrum possit petere bonorum possessionem contra tabulas avi? Ratio dubitandi, & decidendi proponitur in illis verbis: non enim per rescisionem is, qui filius iustus est, efficietur non filius: cum resciso, quo magis admittatur, nō quo minus adhibeat. Ecce tationē dubitandi. Prætor filio emancipato bonorum possessionem contrā tabulas præbet rescisa emancipatione; per inde ac si emancipatus non esset: id est, eodem iure, quo lex habet filios suos, Prætor admittit emancipatos: nam ut sui præteriti iure civili nullum dicendo testamentum patris, obtinent bona paterna; ita Prætor emancipatis præteritis concedit bonorum possessionem contrā tabulas rescindens emancipationem. Sed rescisa emancipatione filius emancipatus remanet in conceptu filij sui heredis. Igitur iniustum fuit matrimonium, quod contraxit sine voluntate patris; & per consequens iniustus filius, qui susceptus fuit ex illis nuptijs; iniustis vero filijs, aut ne potibus

potibus non datur bonorum possesio contrà tabulas, ut supra notavimus. Breuior argumentandi forma est hæc. Filius in potestate constitutus iniustam dicit uxorem sine voluntate patris. Sed filius emancipatus in conceptu iuris prætorij rescisæ emancipatione habetur pro constituto in potestate. Ergo nepos ex hoc matrimonio suscepitus iustus non est. Quam rationem dubitandi optimè expressit Anton. Faber de errorib. pragmaticor. decade 29. error. 6. Ratio decidendi in ijsdem latet verbis. Quia Prætor adhibet rescisionem, id est, rescindit emancipationem in conceptu suo, ut filius emancipatus magis admittatur, nō ut admittatur minus; id est, nō ut excludatur: quasi dicceret, rescisio emancipationis tantum deseruit ad effectum succedendi: non vero ut censeatur emancipatus manere in potestate, ad hoc ut sine voluntate patris uxorem ducere non posset. Ergo filius emancipatus ad petendam bonorum possessionē contrà tabulas habetur pro non emancipato: & ad matrimonium contrahendum talis centetur, qualis est. Ita exposuerunt Faber ubi proximè, Brisonius l. b. singulari de iure coniubior. pag. 289. in magnis, & in parvis pag. 73. versic. præindè.

8. Sequitur versic. nam et si, qui continet prædictæ doctrinæ extensionem: videlicet, nepotem admitti ad bonorum possesione contrà tabulas, quamvis ex in honesta, vili, & propudiosa matre natus sit, quam duxisse, de decori sit patri, & ipsi. Quæ verba accipienda sunt cum eo moderamine, ut talis fuisset, quæ civis Romanus in matrimonium ducere posset: si enim esset lena, vel à lenone manumissa, in adulterio deprehensa, iudicio publico, vel à Senatu damnata, & quæ artem ludricam exercuit, iniustum matrimonium fuisset, ut potè prohibitum per legem Iuliam de maritandis ordinibus, l. palim 43. l. lege 44. de ritu nuptiar. Vlpiian. in fragment. tit. de celibate, orbo, & solitario 13. §. ceteri 2. Dixi lib. 3. anal. t. de interdict. & relegat. excursus 2. illation. 1. Ex quo nepos suscepitus ad bonorum possessionem

Quæ sensu bonorum possesio contrà tabulas rescindat emancipationem?

Propudiosa famina duci potuit, modò non effet ex comprehensis in legi Iulia.

fionem contrà tabulas admitti non posset, tamquam iniustus. Vnde prædicta verba de propudio, vilitate, & infamia generis, vel morum accipienda sunt; quæ tamen non sufficeret, ut ex lege impediretur matrimonium.

**9** Ad versic. *Cum possit.* In eo Vlpianus proponuit remedium, quo posset avus nepotem hunc à bonis suis repellere: scilicet exheredando eum; quo à bonis

Olim ex edito  
patris, nepos  
ob demeritum  
exheredab-  
tur. Quod Ius-  
tin. corrixit.

norum possessione contrà tabulas excluditur, leg. non putavit 8. de contrà tabul. Sed cum pateret exheredatio via ad inofficiosi testamenti quærelam; adiecit, non adeò certum in ea exitum nepotem habiturum: quia is, qui de inofficio cognitus est, non minus perpendet delictum patris, quam meritum nepotis. Delictum patris appellavit, contemptum, & contumaciam non explorandi consensum patris sui ( quamvis de iure non teneretur ) ad ducendam uxorem; & quia duxit propugnolam, quæ toti familiae dedecori fuit; quod appellari delictum, & tale reputari graviter docent Couarde matrimonio 2. p. cap. 3. §. 8. ex num. 5. usque ad finem, & cap. 6. num. 8. Annæus Robertus lib. 2. rerum indicatar. cap. 9. Quod licet in patre delictum sit, non potest esse culpa in filio ex eo matrimonio suscepito: est tamen demeritum ex impare matre natum fuisse: quod antiquitus iusta exheredatione dignum visum fuit, & inter causas meritas numerabatur; donèc Justinianus in leg. cum

An hodiè deli- - in suo 33. §. legis, C. hoc tit. sanxit, nè alter alterius odio  
tum sit filie prægravaretur, & vt filius ex delicto patris exheredari  
nubere contrà non possit. Quia constitutione derogatum fuisse dict. §.  
Parentum vo- si emancipatus, cum iudicio censuit Costa in dicto §. &  
luntatem? In- quid si tanum, 3. part. ex num. 206. Apud Nos in leg. 46.  
quisitum, nec Tauri, statutum est, vt pater, materve possiat exhereda-  
decisum. re filias, quæ nubunt eorum consentia non expectato.  
Per contrarium Patres in Concilio Tridentino session.  
24. de reformat. matrimonij cap. 1. anathematæ damnant  
eos, qui falsò affirmant, matrimonia à filijs fam. con-  
tracta irrita esse. Ex quibus verbis in dubium revocatur  
legis

legis Regiae potestas. Alij censent iniustum esse, ex quo dannat matrimonia ab Ecclesia approbata. Alij contendunt, matrimonia hæc firma esse, sed non laudabilia per illa verba Concilij: *nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est.* Vnde locum faciunt civilibus poenit. Qua de re iudicium nostrum interponere nullumus. Adeundi sunt plurimi laudati à Barbosa in remissionib. ad Concilium Tridentin. Et voto 26. num. 33. Diana 7. part. tract. 1. resolut. 26. per totam.

10 Competit quærela contrà heredem testamento scriptum, postquam adivit hereditatem; non antea, leg. Papinianus 8. §. si conditioni 10. hoc titul. ibi: *Quoniam antè aditam hereditatem, nec nascitur quærela.* Ratio est, quia ante aditam hereditatem non confirmatur exhereditatio leg. filium 20. de contrà tabul. Vnde deficit causa inofficiositatis: & quia quærela petit adversarium ex opposito; petit personam, adversus quam moveatur: in quo distat à bonorum possessione contrà tabulas, quæ potius adversus ipsas tabulas dirigitur, quam contrà heredem in illis scriptum. Dixi suprà cap. I. num. 2. Idem verò est, si adeatur hereditas, ac si secundum tabulas bonorum posselsio petatur, leg. si patronus 12. §. ex testamento 5. de bonis libertorum.

11 Vnde faciliter operâ exponitur Africani text. in leg. si mater 33. de vulg. vbi si mater ita testetur, ut filium impuberem, cum erit annorum quatuordecim, heredem instituit; eique in pupillaribus, si sibi heres non erit, alium substituat, valet substitutio. Dixit, in pupillaribus tabulis, propter similitudinem effectus: licet non sit pupillaris substitutio, sed vulgaris; videlicet in primum casum, si sibi heres non erit; non in secundum, vel si heres erit, &c. vt agnoscunt Cujac. & Govean. multiq; apud Pet. Barbos. in novissimis posthum. ad tit. de vulgari. in l. 2. in princ. num. 61. Disputant Veteres apud Barbosam ex num. 50. usque ad 62. an hic filius institutus centetur interim; an præteritus? Verius est, imo certo certius, hæc verba, cum erit annorum quatuordecim facere

*Ante aditam  
hereditatē non  
nascitur quæ-  
rela.*

*Explicatur I.  
si mater 33.  
de vulgar.*

conditionem: quia habent incertum eventum, cum possit filius ante discretionis annos obire leg. sicui 49. §. 1. & 2. delegat. 1. leg. si Titio 22. quando dies legat. ced. Ut docent recte ijdem Cujac. & Govean. Igitur interim de inofficio quæri non potest, cum institutus sit, non verò præteritus à matre. Nec potuit hereditatem repudiare, transmittereq; ad substitutum, contrà quem de inofficio testamento matris quæreretur: quia conditionalis institutio, dum pendet conditio, non est in causa aditionis, nec repudiationis. leg. is, qui 13. de acquir. hered. Igitur cum nec sit, nec esse possit contradictor, contra quem filius quærelam possit movere: de quærela inofficio in hoc textu controverti non potest. Ut cum iudicio notat Costa, qui melius, expresiusque ceteris hunc textum exposuit, in §. & quid si tantum, 1. parte, ex num. 65. usque ad 72. ubi docet, cautelam, seu consilium Africani non esse utile post novas Iustiniani constitutiones, de quibus in leg. quoniam in prioribus, & in l. scimus, §. cum autem, C. hoc tit. quæ à legitima removent omne gravamen, & omnem dilationem: nisi in eo, quod legitimam excedit.

*Comparatio, dissimilitudo quærelæ cum bonorum poss. contrà tabulas liberti.*

12. Quanvis quærela differat in hoc à bonorum possessione contrà tabulas patris; est multum conformis bonorum possessioni contrà tabulas liberti: nam hec dari non solet, nisi post quam heres à liberto scriptus adivit hereditatem, leg. illud 4. in princ. de contrà tabulas l. etiam 3. §. ut patronus 5. & §. si patronus 1. cum seq. leg. filius 42. §. Papin. 1. de bonis libert. Ratio tamen utriusq; valde diversa est. Quia ad movendam quærelam requiritur præcisè aditio instituti, ut sit contradictor, contra quem dictari possit: ideo omnino non competit, nisi sit, qui adeat. At in bonorum possessione contrà tabulas liberti, aditio tantum requiritur ad confirmandam causam testamentariam: ut sciatur, an patronus contrà testamentum veniat, vel an ab intestato per unde legitimi destituto ab scriptis testamento: nec vult tam inquirere, vel quærere contradictem, quam cognoscere, perspi-

perispicere, ex qua parte edicti successorus sit. Ergò si non velit expectare exitum testamenti, ut pleniū ab intestato succedat, leg. si libertus 23. de bonis libert. statim, ante aditionem, bonorum possessionem contrà tabulas petere poterit, vt dissertè probatur ex leg. sed cum patro-  
no 6. de bonor. poss. In qua Paulus primò statuit, non esse locum iuri accrescendi intèr patronum præteritum, cui Prætor certæ partis bonorum possessionem contrà tabulas pollicetur, & scriptum, cui pollicetur secundum tabulas bonorum possessionem; quia diverso iure succe-  
dunt arg. ex leg. si sub conditione 16. quib. mod. 2 susfr. amitt.  
notant Cujac. lib. 41. Pauli ad edictum in l. illud 4. de con-  
trà tabul. & multis in locis, Anton. Fab. decad. 15. err.  
4. & 5. & decad. 40. err. 7. noster Valent. lib. 1. illustriu-  
n tract. 1. cap. 1. num. 11. Ex quo principio hinc conse-  
quentiam deducit. Igitur non petente scripto secundū tabulas, consequens est, vt portio eius ad patronum per  
ius accrescendi non recurrat. Antonius Contius hæsit  
in hoc loco. Inquit enim, si patronus contrà tabulas  
non petat, heres scriptus fert totam hereditatem. Sed  
diverso iure succedit heres scriptus. Ergò debet ferre  
etiam totam patronus. Respondeo. Scriptus ex asse  
non indiget iure accrescendi, vt totam ferat heredi-  
tam ex edicto Prætoris de secundum tabulas,  
quā adiens iure civili: patronus potest avocare, &  
evincere suam partem; si non avocet, retinet eam scrip-  
tus iure proprio. Ast patronus, si præteritus sit, limi-  
tatum ius habet ad certam partem: vt totam ferat he-  
reditatem indiget iure accrescendi, quod non habet,  
quia diverso iure succedit. Itaque theorica hæc, vt lo-  
quitur Contius, tantum in patrono locum habet. Con-  
cludit tamen Paulus, quanvis patrono non deferatur  
portio scripti ex iure accrescendi; deferri tamen extra  
ordinem: quia Prætor, non petente secundū tabulas  
scripto, nominativi patrono pollicitus fuit. Quà polli-  
catione non indigeret, si haberet ius accrescendi, leg.  
si solus 80. de adquir. heredit. cum similibus. Hunc textum

Explicatur 1.  
sed cum pa-  
tronō 6. de bo-  
nor. poss,

difficilem fecit Glossa Accursij verbo *polliceatur*, quæ pro constanti supposuit, patronum non potuisse petere bonorum possessionem contrà tabulas, nisi post aditam ab scripto hereditatem. Et illa verba. *Igitur non petente scripto secundum tabulas*, torquet, ut significent, petente, sed postea abstinentे, vel per restitutionem repudiante. Verum quam hæc aliena sint à mente Consulti nemo non videt. Ergò fatendum est, non oportere, nō expedire patrono bonorum possessionem contrà tabulas ante aditam hereditatem, ne implicitetur oneribus hereditarijs, & testamenti, ut dicitur *in dict. l. 3. §. vi* patronus<sup>s</sup>. Sed si utilitatem suam contemnat, posse etiā ante aditam hereditatem contrà ipsas tabulas liberti petere, ut filius potest: licet filij potentis melior conditio sit, quam patroni. Itaque retinendum est hoc principium. Patronus ut partis dimidiæ signantè, & præfinitè possit petere bonorum possessionem contrà tabulas liberti spectare debet, ut adeant scripti. Sed ut absolutè, & indissimilè petat, cum periculo suscipiendi onera hereditaria, si repudiet scriptus, nō indiget spectare, ut adeatur. Quod concessit, & licet non ita expresse docuit Cujac. lib. 41. Pauli ad edict. in ead. l. præcipiens summo cum iudicio, & magisterio circumscribi, prædictam Glossam magnam.

*Competit contrà quemcunq; heredem, qua-cunque digni-tate prædiū.*

13      Contrà heredem ergò competit quærela filio exheredato, postquam adivit. Siue Imperator sit, leg. Papinianus 8. §., Imperator 2. hoc tit. Paulus lib. 4. sentent. tit. 5. §. 3. Siue sit pater, patriave. leg. f. is, qui 31. §. 1. hoc eod. tit. Vnde notavit Bartol. *in dict. §. 2.* nullam dignitatem heredis efficere, ut filio exheredato contrà ipsum non competat quærela. Plus ausus fuerat Accursius, nempè competere contrà Deum in suis pauperibus, vel operibus prijheredem scriptum, arg. ex l. 1. §. ad municipium ff. ad leg. Falc. (itaq; verba D. Augustini de vita Clericorum, quæ sunt. Quicunque vult exherelato filio heredem facere Ecclesiam, querat alium, qui suscipiat, non Augustinum. Imò Deo propitio nullum inveniat, non citat

citat Decretum Gratiani: cum hæc verbæ habeantur in cap. quicunque 13. 17. quæst. 4. quod citat Bartolus. (Ad de Guillelmum Forn. lib. 1. selectar. cap. 25. Conanum lib. 9. comment. cap. 8. num. 11.) cum constet Gratianū opus hoc edidisse anno Christi Dñi. 1150. vt ipse testatur in cap. 27. §. Ego editus 2. quæst. 6. & Valentinus Forsterus lib. 3. historiæ iuris civilis cap. 7. sub Gratiano. Accursius vero floruisse sub Friderico II. circiter annū Christi 1227. existimo primis temporibus Decretum hoc, siue hanc Canonum concordiam à Gratiano editam, minoris à Iurisperitis habitam fuisse. Idcirco Patrum verba à Gratiano relata, afferebant; non afferentes ipsius Gratiani locum.

14. Competit etiā contrà fiscum, qui herediti scripto bona abstulit. Contrà filium, qui ab herede scripto avocauit bona per bonorum possessionem contrà tabulas. Contrà fideicommissarium, cui hereditas restituta fuit. Denique contrà quemcunque possessorum hereditatis titulo vniuersali. Dixi supra cap. 2. num. 4. Sed de fiduciario herede, & fideicommissario quædam præterea notanda sunt. Heres fiduciarius ex minima parte scriptus, rogatutque restituere: quia inofficiosè scriptus est, potest de inofficiose institutione queri, ut supra dixi. Si non obtinuerit, id tantum retinebit, quod ratione Falcidie erat retenturus, leg. Papinian. 8. §. mentiſe 14. hoc tit. Paulus lib. 4. sentent. tit. 5. §. 9. Quæres, quomodo habet quærelam, qui potest quartam Falcidiæ retinere, contrà dict. l. 8. §. quarta 9.? Respondeo secundum Ius Digestorum, quia non habet quartam totius hereditatis, suppono solum filium, vnumque fuisse, sed quadratrem sūx portionis, vt in l. in singulis 77. cum seq. ad leg. Falcid. quod etiam attigit Faber. Quæres deinde, contrà quem possit movere quærelam? Respondeo contrà coheredem, & contrà fideicommissariū simul: nam victoria contrà vnum post restitutam hereditatem, non prædest contrà alium, vt infra dicam, & probatur ex leg. facta 63. §. si heres 2. ad sen. cons. Trebell.

*Contra fiscum,  
& contra filium.*

*Et si sit frater  
exhereditati.*

15 Superest eadem brevitate exponere, quando filio exheredato contra ceteros fratres heredes scriptos competitat quærela: quando contra ipsos ei quærela non accommodetur? Competere exhereditatis a patre, vel à matre præteritis etiam contra fratres institutos, probatur dissertè ex leg. filio 16. l. si instituta 27. §. de officioso 3. hoc tit. In quibus supponitur, egisse pro parte de inofficio testamento; quia erant alij, quibus eadē quærela suppotebat. Paulus lib. 4. sent. tit. 5. §. 2. ¶ 7. Sed cum amplissima potestas decernendi de hac lite Centumviris fuisset attributa, quo nomine hoc tribunal extollitur à Iustin. in leg. vlt. C. de petit. hered. Tam ipsi, quam aditij Imperatores per libellos, sàpissimè rescilione paterni testamenti evitarunt, eius famæ consuientes, quando nulla fuit inofficiositas in præteritione matris; vel consuli potuit filio salvo manente testamento. Cuius doctrinæ citius exempla proponi poterunt, quam certa regula. Primum extat in leg. cum mater 28. ff. hoc tit. vbi filio milite à matre præterito non iugosiosè, sed quia rumor perlatus erat de eius morte: Imperator Hadrianus heredibus scriptis hereditatem absulit, & in filium transtulit: & quanvis mero iure testamentum quærelæ subiaceret, ut dicitur in leg. anteced. §. vlt. tamè Imperator introspecto bono animo matris, potius institutionem rescidit tanquam ex defectu voluntatis matris, quam testamentum: iussitque præstari legata, & competere libertates: quod non iuberet, si per quærelam expugnatum esset. Substinuit ergò Imperator, quod voluit; rescidit, quod voluit, ex coniectione voluntatis matris. Simile decretum extat in l. vlt. de hered. inst. nisi quod non loquitur de milite; & hoc amplius ponitur expressus animus matris protestatione declaratus. Addendi sunt pro pleniore expositione, sed non multum necessaria, variè, validèque digladiantes, Donell. in authent. ex causa Cod. de liber. præterit. Osuald. lib. 6. cap. 13. litt. G. & H. Costa in §. & quid sit tantum 3 part. num. 239. Padilla de Meneles in l. eam, quam 14. n.

*Aliquando ex  
æquitate tem-  
perarunt Cen-  
tumviri.*

*Exempla ex  
l. cum mater  
28. h. tit.*

*L. vlt. de her-  
ed. inst.*

47. Richard. in §. posteriore. inst. quibus mod. testam. infirm.  
 Quæ procedunt in casu ignorantiae: in casu vero repen-  
 tino aliud constituerunt Severus, & Antonius in leg. si  
 mater 3. C. de inoff. testam. Species est. Mater, quæ duos  
 filios habebat tempore facti testamenti, vtrunque heredem  
 scripsit: post testamentum enixa est tertium. Hic  
 præteritus inventus fuit: mater decessit, postquam te-  
 stamentum mutare potuit, nec mutavit, nec heredem  
 scripsit filium tertio loco natum. Respondent Cass. in-  
 officiosum esse testamentum; forte non fuit in culpa,  
 cum testamentum ordinavit; potuit quippe ignorare  
 se prægnantem esse, vel potuit non esse prægnans: sed  
 in culpa fuit, inofficiosa fuit, cum potuit scribere iam  
 natum, nec scripsit heredem. Idcirco quærela locum  
 habet, quanvis fratres scripti sint, & torum iudicium  
 rescinditur. Paulus dict. lib. 4. tit. 5. §. 2. Ponit secun-  
 dò textus hic, matrem, quæ duos superstites instituerat,  
 in puerperio, in labore enitendi, vita decessisse: hunc  
 vocat repentinum casum. Non enim culpa reputatur,  
 non mutare testamentum, cuni se gravidam sentiret:  
 neque enim de vita debuit desperare: iniquitas ergo  
 huius repentinii casus ex conjectura maternæ pietatis  
 emendatur: mater enim, quæ proprios filios heredes  
 scripserat, non est inofficiosa erga sanguinem suum: no  
 omisit tertio loco natum ex defectu charitatis, sed ca-  
 su, cum superesse puerperio putaret. Itaque admitti-  
 tur tanquam scriptus ad virilem cum fratribus, & testa-  
 mentum de cætero substinetur, concessa recens nato  
 bonorum possessione secundum tabulas tertiae partis,  
 tanquam scriptus esset, ut argutè ait Costa in §. posthu-  
 mus, num. 5. inst. de legat. In hoc secundo casu non solum  
 non rescinduntur legata, nec libertates: sed nec fratri  
 institutio rescinditur: quia ex æquo futuri erant here-  
 des ab intestato cum præterito: & quia mater, quæ pia  
 fuit erga natos eos heredes instituendo; non videtur in-  
 officiosa erga recens natum, licet testamentum ante  
 instans puerperij non mutaverit. Hoc significant illa

Exponitur. 3  
 C. hoc tit.

illa verba: repentinus casus iniquitas per coniecturam maternae pietatis emendanda est. Quæ enim fuit erga superstites, fuisset etiam pia erga posthumum, si de morte cogitaret. Tertius casus est, quando heredes erant scripti extranei, & mater in puerperio vita decepsit; filiusque inventus fuit à matre præteritus: ita enim ponendum esse, contextura legis ipsius suadet. In hoc casu locus est quærelæ, siue editus à matre sit, siue extractus exfecto ventre, leg. posthumus 6. in princip. versic. simili modo. hoc tit. Quià non excusatur mater eadem pietatis ratione. Quæ enim filios suos instituerat, probatam, & commēdatam pietatem habet, licet propter speratum non mutet testamentum; licet periculo vite obiciatur in puerperij discrimine. Non verò ita, quæ extraneos scriperat, & de propria sobole magis sollicita debuit esse. Ideò testamentum omnino, siue in totum subiicitur quærelæ: nec illo favore digna reputatur, quo Hadrianus prosequutus fuit matrem, quæ filium militem præterierat, sed falso rumore decepta, quo audierat filium decisisse. Intèr quæ rescripta nullam invenio antinomiam, quanvis sedulò de ea componenda egerint multi relati à nostro Del Rio in miscellaneis ad leg. 28. & Genoa pag. mihi 778. ex num. 142.

Fratre, & ex  
traneo heredi-  
bus scriptis, si-  
lia pro semisse  
agebat.

Filius de toto  
testamento que-  
rebatur.

116 Ex dictis apparet etiam contrà fratres institutos quærelæ cōpetere. Sed pone, & fratre, & extraneū scriptos esse: extraneū ex semisse, vel ex portione majori: fratre ex minori portione, vel ex alto semisse: aliqui q̄; filii fuisse exhereditati? Si fœmina fuit, quā exhereditata proponimus, licet totum testamentum euertere vellet per quærelam, non esset admittenda; quià, ut ego suprənotavi, tantum ad semissimius habuit quærelandi, vel ad virilem portionem fratribus scriptis. Si verò fuit maternus negari non potest ex proximè dictis, potuisse contrà fratres quærelam proponere, & in totum testamentum rescindere: ad quam differentiam vulgo non animadvertiscit. Deinde alia potest observari? Si mater fuit, quæ testamentum fecit; tamen filius, quam filia, siue exhe-

exheredati sint, siue præteriti, de inofficio quæri pos-  
sunt, & totum testamentum rumpere. Quià distinctio  
intèr filios, filialque tantùm à Prætoribus post rescriptū  
Antonini Pii, de quo *in l. maximum vitium 4. C. de liberis  
præteritis, & à Centuviris obseruata fuit; ne per hæc reme-  
dia plus ferrent, quam ferebant præteritæ iure ciuili.*  
Quod ius cum deficeret circà matrum testamenta, me-  
rito receptum fuit, vt in totum euerterentur, siue fi-  
lius, siue filia exheredati, aut præteriti inuenirentur:  
etiam si fratres heredes fuissent scripti; siue soli, si-  
ue cum coheredibus extraneis. Illud tamèn obserua-  
tionediguum iudico; si frater, sororve scripta ex mino-  
ri parte sit, nec ipsa adierit adhuc hereditatem, sed co-  
heres extraneus: si filia præterita, filiusve moveat quæ-  
relam, & obtineat, relcindi totum testamentum: quià  
aditio extranei, per quam confirmatum fuerat, omnino  
rescinditur. Ut subtilitè, & cum iudicio docuit Accurs.  
*glossa vlt. in l. mater 19. hoc tit.* Quòd si tam filia, filiusve,  
quam extraneus adierint, & utriusque aditione confir-  
matum testamentum fuerit, filius, filiavè præteriti, vel  
exheredati verecundius egerint, si aduersus extraneum  
heredem quærelam intenderint, licet de rigore iuris  
etiam cōtra fratrem illam perferte possint. Paulus *d. lib.  
4. sent. 5. §. 2. & 7. quamvis Benedictus Pinell. lib. 2. se-  
lect. cap. 8. num. 8. existimauerit, scriptis heredibus, qui  
ab intestato venturis sunt vna cum filio exheredato, quæ-  
relam tantùm ad virilem competere. Quod contrarium  
est textui, *in d. l. 3. C. h. t. in primo responso.* Verum enim  
verò licet exheredatus contra utrumque quærelam mo-  
uere potsit, tamèn frater, qui institutus est, & adivit he-  
reditatem, potest, si vult substinerre iudicium paternū,  
nec illud rescindet frater exheredatus, vt docenatur in  
eadem Glossa magna. Quòd si agentem fratrem non re-  
pulerit, quærela in totum evertit paternum testamen-  
tum. Quo everlo filia heres scripta, filiusve pro minori  
portione virilem fert; quadrans v. g. ex testamento, al-  
ter quadrans ab intestato; frater verò exheredatus alte-*

Sed verecundi-  
dius ager con-  
tra extraneum,  
quādī constat  
fratrem.

*Imd, & frater  
poterit substi-  
nere testamen-  
tum.*

rum seminariis ad intellectum fert: & sic per quærelam non tantum in diversis personis, sed etiam in persona hereditis scripti concurrit utraque causa testati, scilicet, & intestati. Addendi Cujac. lib. 14. qq. Papinian. in leg. nam, & si parentibus 15. q. filius hoc sit. & lib. 2. qq. Pauli in d. l. mater 19. Faber lib. 9. conjectur. cap. vlt. & de errorib. decade 40. error. 10. Quia in re notanda est cum eadem Glosa elegans differentia inter bonorum possessionem contratabulas, & quærelam: scriptus enim ex minori parte, si adivit, non fert plus, licet frater præteritus bonorum possessionem contratabulas perat, i. non putauit 8. q. vlt. leg. si duobus 14. decontrabulas: quia, vt sapè dixi, bonorum possessio contratabulas non rescindit testamentum, nec rem devoluit ad causam intestati. Quid si per quærelam rescissum testamentum sit, tantum aufertur portio, quam ab intestato filius habiturus est, idcirco reliquum, quod non capit extraneus, ad scriptum spectat. Denique pro complemento explicationis, d. l. mater 19. notandum est, non videri repudiari filiam hereditatem legitimam, partemvè eius, quam ab intestato consequi potuit, expugnato per quærelam testamento, ex eo quod adiisset hereditatem: neque enim viam intestati repudiat, quæ idcirco adivit, quia nescit, quem exitum habitura sit quærelam in officiosi testamenti. Docent post Classicos Cujac. tract. 4. ad African. in d. leg. si duobus 14. & breuitè lib. 25. observat. cap. 29. & in alijs multis locis. Ostwald. ad Dönnell. lib. 19. comm. cap. 12. litt. C. Non immoror in enarratione speciei, quia satis differe illam exposuit Cujac. in d. l. 19.

*De restamen-  
tis militantiū  
remisiue.*

17 Quærelam in officiosi testamenti, itemque bonorum possessionem contratabulas, non competisse filiis ex heredatis, præteritis vè in testamentis militantium dixi lib. 5. opusc. cap. 3. q. vnic. ubi rescriptorus seriatim memini. Nouissime nota, competere bonorum possessionem contratabulas filiis militis patri manumisso, & per consequens quærelam adversus illa bona, quæ extra castra adquisierat, non occasione militiæ, vel antè

anfe militiam; ut solum immunia sint in castris adquisita à querela, & bonorum possessione contrà tabulas testamenti militis.

## CAPVT XIX.

*QVIBVS CVM REMEDIIS  
concurrat querela; & quibus cum non possit  
concurrere? Explicatur, l. qui de inoffi-  
ciozo 20. hoc tit.*

**I** **C**VM omnibus remedijis, quaे directo ten-  
dunt ad infringendum testamentum, po-  
test concurrere; nam querela idem inten-  
dit. Osuald. ad Donell. d. lib. 19. cap. 4. litt.

*Concurrerit cū  
remedijis resci-  
foris.*

*M.* Exemplum extat in l. Papinian. 8. §. si quis irritum 12.  
hoc tit. Vbi qui irritum dicit testamentum, de inofficio-  
so potest queri. Potest etiam agere de non iure factio-  
ne defalo: in tantum, ut quamdiu de hac questione durat  
lis, non currat quinquenium præscriptum querelæ, l.  
contrari 16. C. eod. tit. Vnde si in altero succumbat, ad al-  
terum potest redire, l. eum, qui 14. C. eod. tit. Quia in re  
expositione indiget text. in l. hereditas 3. C. de petit. here-  
dit. Proponitur, hæreditatem materteræ petitam fui-  
se à filia sororis: utar verbis Græcorum, quæ Hispanis-  
mus noster arripuit ab illo idiomate, sobrina petivit tiæ  
sue hereditatē ex una causa; succubuit: inquit Cæſſ.  
locum superesse petitioni ex alia causa, ex alio capite,  
ex alia parte edisti: namque quo: iès duplii iure defer-  
tur alicui successio, deficiente, seu repudiato nouo iure,  
superest vetus, l. quoties 9. deregul. iur. exempla plurima  
referunt Decius, Cagnolus, Petrus Faber, & Iacob. Go-  
thofred. ibidem: quæ non moramur. Ex hac generali

*Exponitur, l.  
3. C. de pe-  
tit. hered.*

regula infert, si prior causa petendē hereditatis, fuit quærela in officiosi testamenti, licet in illa supereretur, posse ad aliam caussam petendi recurrere: veluti si dicat non iure factum fuisse testamentum, falso, velex alio capite ab intestato decesisse testatorem. Regula certissima est, & illatio plana. Cui simile est Modestini responsum, in l. Iucius 47. de petit. hered. Sed non videtur posse accommodari quæstiōni de petitione hereditatis māterteræ, quam filia sororis petit. Quippè sororis filia non quærebatur de in officioso testamento māterterē. Potest dici, sororem preparatam quærelam ad filiam transmississē, quam fuisse Iobrinam prosequutam ex persona matris, & succubuisse. Mihi tamen non est difficile dicere temporib⁹ Severi, & Antonini (Auctōrum textus) etiā cognatis quærelam competiſſe licet cū modica ſpe obtinendi: donec Diocletianus ad fratres reſtrinxit, ut ſupradixi: cuius veteris iuris vestigium extare in d. l. 3. exiſtimo. In hoc diſtat quærela in officiosi testamenti à bonorum poffeſſione contrā tabulas liberti. Quippè ſi patronus ex minore parte ſcriptus, testamentum liberti falſum accuſet, nec obtineat; repellitur à bonorum poffeſſione contrā tabulas, l. ſi patronus 19. de bonis libert. Quæ differentia non eſt abſolute proponenda, ſed ſecundum terminos in dict. leg. 19. præscriptos: nēpè ſi patronus ſit herescriptus ex minore parte: quia tunc bonorum poffeſſio, quæ ei datur, licet contra tabulas etiam appetetur, potius eſt ad ſupplementum, & ſecundum iudicium defuncti, l. ſuè patronus 21. §. 1. de iure patronat. cum alijs, ex quibus in anterioribus notavi, & docuit Accursius in dict. l. 19. Quod ſi omnino omiſſus fuiffet à liberto, non dubito, quin etiā falſum testamentum accuſaſſet, nec obtineſſet, poſſet contra tabulas agere: ut de quærela dixi.

2 Cum illis verò remedijs, quæ ſupponunt va-  
lorem testamenti, vel tabularum; & testamentum non  
reſcindunt, ſed potius uſtinent cauſam testamentaria-  
riam; quærela concurrere non potest. Idcirco cum bo-  
norū

L. Iucius 47  
Eod. tit.

An patronus,  
qui falſum ac-  
cuſavit, nec  
ob inuit, re-  
pellatur d co-  
rrā tabulas?

Exponitur, l.  
ſi patronus  
19. de bon.  
libert.

Ton concur-  
it cū bone-  
um poff. con-  
tra tabulas.

norum possessione contrà tabulas non potest concurre-re. Hæc enim ex testamento est; quærela rescindit testa-mentum, & devoluit rem ad causam intestati. Quarè in superioribus hanc regulam sæpiissimè inculcavi: cui competit bonorum possessio contrà tabulas, non potest competere quærela inofficiose testamenti; & è contrà, l. illud 4. §. ad testamenta, l. non putavit §. in princip. de con-trà tabul. cum alijs §. emancipatos inst. de exheredat. liberor. Exheredatus potest quæri de inofficiose, sed non potest petere bonorum possessionem cōtra tabulas, l. filium 20. de contra tabul. vbi dixi. In hoc sensu dicitur quærela ex-tremum subsidium, in l. maximum vitium 4. C. de liberis præterit. & in l. cum in adoptivis 10. C. de adoption. Qui à contrà testamentum, quod tale dici, & reputari potest, non competit, nisi quando alia deficiunt remedia: non verò respectu aliorum remediorum, que tendunt etiā ad euersionem testamenti; veluti de non iure facto, de irrito, de falso, vt dixi num. præcedenti.

3. Cui doctrinæ consequens est, vt non possit concurrere cum bonorum possessione decretali Carbo-niana. Omitto decretum, quod interponitur ab intestato: quando à filio petitur bonorum possessio, unde liberi, & negatur à legitimis proximis esse filium defuncti. Et vt ad institutum dicamus, generaliter dicendum est, his demum Carbonianam bonorum possessionem decerni, quibus bonorum possessio contrà tabulas competit. Vel ad instar bonorum possessionis contrà tabulas: filiabus olim ex rescripto Antoninij Pij non dabatur bonorum possesso contrà tabulas, l. maximum vitium 4. C. de liber. præterit. impetrabant verò pro parte possessorias actio-nes contrà heredem scriptum; quod sufficiebat ad hoc, vt si negarentur filiæ, gauderent decreto Carboniano, l. 1. §. non tantum 2. de Carbon. edicto. Cuius text. hæc fuit ratio dubitandi, & decidendi. Per contrarium, qui-bus non competit bonorum possessio contrà tabulas, non competit Carboniana, d. l. 1. §. & generaliter.

4. Itaque exheredatis, quibus bonorum posses-

Quo insensu di-citur subsidia riuum remedii.

Nec cum Car-boniana.

Quæ competit bis, quibus cō-trà tabulas, aut ad instar veluti filiabus

Exheredatis non competit

sio contrà tabulas non conceditur, nec Carboniana attri-  
buitur, d. l. 1. §. Pomponius 8. cum seqq. l. 2. eod. tit. Ex-  
cipe, si cum elogio exheredatus sit, nempè illum ex adul-  
terio susceptum; hoc enim elogium reputatur causa finalis exheredationis, contrà quā admittitur probatio filij:  
ergò cum statū respiciat, conceditur interim Carbonia-  
na. Non quia exheredatio non valeat, verius quippè est  
valere, l. 3. liber. & posthum. Sed quia perspicitur qua-  
lis fuisset animus patris, vt Glossa tandem sensit, & ap-  
probant Cujac. tract. 4. ad African. in l. si posthumus 14. §.  
vlt. de liber. & posth. Conan. lib. 10. comment. cap. 2. ex ru-  
mer. 3. Duaren. ad tit. de liber. & posth. cap. 3. addendus  
etiam curiosè discerens de animo patris ità filios exhe-  
redantis Guillelmus Forner. lib. 2. select. cap. 6. Quòd si  
filius ità exheredatus pubes iam sit, quo in casu Carbo-  
nianæ non est locus, nec per consequens editali bono-  
rum possessioni contrà tabulas, nā hæc non aliter, quam  
de plano expeditur; nec esse est, vt nullum aliud reme-  
diū habeat, quām inofficiosi quærelam, l. si instituta 27.  
§. 1. sic intelligendo, & de filio pubere accipiendo, hoc  
tit. si enim impubes esset, & exheredaretur tāquam non  
filius, tanquam filius adulteri, haberet Carbonianam.

*Ex quibus exponendus est Scæuola text. in l. qui de inofficio 20. hoc tit.* Proponitur filius exheredatus, nihil adjicitur de elogio: nec nos supponamus, quod textus non exprimit. Filius exheredatus perferebat quærelam inofficiosi testamenti: heres scriptus oppo-  
suit, non solum ritè à testatore exheredatum, sed nec fi-  
lius testatoris esse, qui de inofficio quærebatur. Quæri-  
tur, vtrum interim danda sit bonorūm possessio Carbo-  
nianæ? Ex quo appetet, fuisse filium impuberem; aliter  
enim quæstio esset de subiecto non supponente. Negat  
Scæuola posse accipere Carbonianam. Si exheredatus  
esset cum illo elogio, illum ex adultero natum exheredo, ac-  
cipere et interim decretalē Carbonianam bonorum pos-  
sessionem, quia impubes erat: sed purè exheredatus, li-  
cet ab herede filius negetur, non accipit. Præbet ratio-  
nem

Nisi tanquam  
ex adulterio  
natis exhere-  
dati.

Ratio.

Explicatur de  
pubere, l. si in-  
stituta 27. §.  
1. h.t.

Exponitur, l.  
qui de inof-  
ficio 20. hoc  
tit.

nem Scœuola: Toties enim ea indulgenda est, quoties si verè filius esset, heres esset, aut bonorum possessor. Idem est, ac si dicceret, ponamus per calumniam opposuitse heredem, non esse filium testatoris: ponamus declaratum fuisse verum esse filium: adhuc superest exhereditatio pure, & ritè facta, que removet filium à paterna hereditate. Sed Carboniana tantum conceditur his, qui futuri sunt heredes, vel bonorum possessores, si sunt filii. Ergò huic filioritè, & sinè elogio exhereditato non debet concedi. Versicul. ut interim, quasi incidenter, & intrancursu exponit effectus Carbonianæ, qui sunt, ut filius interim, dum pubes est, missus in possessionem ex illo decreto, interim alatur, de bonis hereditarijs, & possideat ea, & actionibus priudicium non patiatur. Aliqui libri habent in actionibus. Potest quippe, si satisdederit mouere actiones hereditarias contrà extraneos debitores, l. hæc bonorum possessio 15. de Carbon. edito. Non satisdante impubere, heres scriptus exercet actiones, l. sed si is 5. §. quoties 2. eod. tit. Quod in agi est, impubes satisdans potest aduersus extraneos, sine titulo possidentes, petere hereditatem, vel res singulas, quanvis contra ipsum scriptum non posuit, l. 3. §. missum 13. eod. tit. His sunt effectus Carbonianæ breuitè à Scœuola delibati.

6. Sequitur versic. Qui verò, qui inter Carbonianam, & quærelam differentiam continet, quoad eosdem effectus. Inquit Scœuola, qui verò de inofficio dicitur, nec actiones mouere debet, nec aliam ullam, quam hereditatis petitionem exercere, nec ali. Primo non possidet; deinde non alitur de bonis hereditarijs; tandem non exercet actiones adversus debitores defuncti; quamdiu pender inofficii testamenti iudicium: tantum petit hereditatem ex hac causa. Huius doctrinæ occasione Accurcius verbo exercere discutit, an quærela inofficii testamenti sit petitio hereditatis? Quam glossam prosequuntur omnes Classici satis operose, & cum multis Osuald. ad Donel. lib. 19. cap. 3. lit. A. & B. Spino in speculo testator. gloss. 20. num. 90. Pichard, in rubric. huins tit. numer.

Effectus.

Differentia  
inter eam, &  
quærelam.An quærela sit  
petitio hereditatis?

mer. 31. & 32. Sed cum ex his questionibus sit, quas pro libitu, & ex cerebro Auctores exagitant, suppositis potius, quam discussis a iuris prudentibus; de ea sic breuitate censendum est. Quærela in officiis testamenti est causa petendi hereditatis ab intestato; quia filius immemerenter exheredatus insanum parentem suum assertit, eius testamentum in officio arguit, intestatum decessisse prætendit, sibique hereditatem legitimam adjudicandam concludit, illamque per hos circuitus petit: & in hoc sensu Scœuola docet, exercere iudicium petitionis hereditatis, qui de in officiis testamento queritur. Et Imperatores in leg. 3. Cod. de petit. hered. eodem sensu idem supposuerunt illis verbis: sed & si questionis titulus prior in officiis testamenti causam habuisset. &c. Quæ exprimunt conceptum nostrum eleganter, cum loquantur Cesares repetitione hereditatis, que habuit titulum, id est, causam à quærela in officiis testamenti. Non tamen est causa adeo necessaria, & connexa cum effectu petitionis hereditatis, ut aliquando ab eo separari non possit: sive enim, aliquem ex ascendentibus quærelam intentasse, cum testator descendentes haberet, quibus similiter competebat, egerunt tamen, quia nemo ex descentibus eos repulit; tunc verum est, ascendentes testamentum rescindere; hereditas vero ad descendentes spectat, leg. posthumus 6. §. 1. h. tit. nihilominus tamen petitio hereditatis recte dicitur, ab eo quod frequentius accidit, arg. ex leg. iura. 3. cum seqq. delegib. Disputant etiam ijdem Donell. & Oluald. d. cap. 3. VV esembechius in commentar. ad hunc tit. Cod. Anton. Fab. lib. 17. coniect. cap. 1. in princip. & alijs quam plurimi, vtrum sit actio ordinaria, vel extra ordinem? Sed haec questione supra cap. 16. manet profligata: quia non impetrabatur a Preto re, neque de ea concipi batur formula, & dabatur iudex, vt actiones ordinariae impetrari debebant, leg. unica. Cod. de formulis: sed aditi Centum. vi. i. per quærelam, aut per querimoniam exheredatorum, & de demeritis, aut meritis cognoscentes, sanum, vel insanum fuisse pro-

*An actio ordinaria, vel  
extra ordinem?*

prōnuntiabant, patremque testatum, vel intestatum faciebant; de iure potius testamenti cognoscentes, quām de facto: de facto quippe liquidò constabat, cum ex tabulis testamenti appareret, exheredatum essē filium; idēc de iure, idest, de iustitia exheredationis quārebatur. Vnde magis accedebat quārela ad naturam extraordinarię actionis, quām ordinarię: nihilominus extraordinaria proprie dici non potest, quia coram ipso Prætore per decretem nō expediebatur, quod proprium fuit actionum extraordinariarum, aut persecutionum. Videnda sunt, quæ dixi *excursu 6. lib. 3. analēct. de interdict. & relegat.* Maneat ergo propriam, & peculiarem naturam actionis habuisse quārelam inofficiōi testamenti.

## CAPVT XX.

*DE PRÆPARATIONE, ET  
transmissione quārelæ, ubi de iure accres-  
cendi, & successorio edicto  
in ea disputatur.*

I **O**PPORTVNE de præparatione quārelæ in præsenti dicitur. Præparatur quārela, quando super ea inchoatur iudicium, vel quando se parat ad inchoandum iudiciū; minùs est præparare se ad controversiam, quām præparare quārelam, & tamèn utrumque sufficit, vel alterutrum. Præparare se ad controversiam est, quārere ad vocatum, commonefacere, & instruere testes: quo facto præbetur indicium iracundiæ; adeò ut licet decadat interim exheredatus, quārelam transmittat ad heredes. Præparatur etiam petità bonorum possessione litis ordinandæ causa, *l. posthumus 6. §. vlt. l. quemadmodum 7. l. Papinianus 8. in princ. & §. sequenti loco I. hoc tit.*

Præparare  
quārela, quid  
sit?

Petitio bonorum posses-  
sionis litis ordinandæ cau-  
sa preparat que-  
relam..

Ex hac enim sumebat initium controversia de inofficio: exheredatus quippe perebat bonorum testatoris possessionem; tanquam ab intestato: prætexens testatorem furiosum fuisse, & ab intestato decepsisse. Hæc vero bonorum possessio sine re erat, tantumque concedebatur litis ordinandæ causa, non ut interim filius in possessione esset. leg. 2. C. hoc tit. Idcirco Scævola in dict. l. quid de inofficio 20. hoc eod. tit. docuit, quærentem de inofficio, interim non possidere, id est, realiter, verèque; quanvis litis causa agnoverit bonorum possessionem. Quæ in suo necessaria non fuit, dict. l. quemadmodum 7. cui satis erat comminari iudicium, incipere à quærimonia; dicere patrem suum male sanum fuisse, fuisse furiosum: nam tunc propter prætextu pro veritate, videbatur inchoare iudicium tanquam existens heres ab intestato iure sui. Cujac. lib. 5. qq. Papin. in dict. l. 7. & lib. 14. earumdem qq. in l. nam et si 15. §. 1. hoc tit. Petrus Pithœus in notis ad collation. Licinius Rufini tit. 16. ver. sic. Quid bonorum possessio.

2. An hæc bonorum possessio fuisset in posthumis olim necessaria, validè disputat subtilis noster Costa in §. & quid sit tantum 3. part. ex num. 232. & num. 238. & in §. posthumus, inst. de legat. num. 19. & occasione huius disputationis attexit aliam, an emancipato post novas constitutiones, quibus iure civili ad hereditatem paternam admittitur, hodiè necessaria quoque sit? Quas ut resolvat quæstiones pro certo cum omnibus Antiquoribus presupponit, bonorum possessionem litis ordinandæ gratiâ non fuisse necessariam ijs, qui resciso per quærelam testamento iure civili heredes erant futuri: itaque ex Costæ, & Antiquorum sententia non tantum superflua erat in suis prædicta bonorum possessio, sed etiam in fratribus consanguineis, & patribus, qui contractâ fiduciâ filium emancipabant, quo in sensu accipit textum in l. pater 14. hoc tit. quia tunc erat bonorum possessio necessaria, ut dicebant, quando iure Prætorio futurus erat heres is, quide inofficio que-  
reba-

rebatur, veluti filius emancipatus, vel pater, qui non  
contra statu fiduciā filium testatorem emancipaverat: tūc  
enim ideo agnoscet bonorum possessionem intrā an-  
num, nē per lapsū temporis inter moras iudicij, & si  
postea obtinuerit à successione excluderetur pertext.  
*in leg. 1. §. vlt. desuccessorio edicto.* Quam suppositionem  
etiam facit Alciatus lib. 8. parergon cap. 24. quamvis in  
modo commentitio petendē eiusdem bonorum posses-  
sionis per annum, vel aliud simile signum, quem ex-  
cogitaverunt Accursius, & Veteres, ab illis dissentiat.  
Verum & commentitia est, vt mihi videtur, doctrina  
veterum, & causa ab ipsis excogitata petendae prædi-  
cta bonorum possessionis. Magisque placet Duarenii  
sententia ad hunc titulum cap. 10. qui existimat, ideo  
petitam fuisse bonorum possessionem litis ordinandæ  
causa ad præparandam quærelam; vt is, qui de inoffi-  
cio quærebatur, & in effectu hereditatem petebat, ti-  
tulum heredis, bonorumve possessoris præferret, quo  
suffultus cum herede adeunte ex testamento quasi ex  
pari contendere posset. Igitur omnibus necessaria fuit  
hæc bonorum possessio, etiam si ex legibus, vel ex con-  
stitutionibus futuri essent heredes, veluti filio contrā  
testamentum matris acturo, dict. leg. Papinianus vers. se-  
quenti loco, & reliquis legitimis, vt notat Cujac. lib. 9.  
obseruat. cap. 14. & lib. 18. cap. 23. in fine. Semper tamen  
verum est, petitam fuisse ex illa parte edicti, ex qua pe-  
tenda postea esset, resciso testamento, & devoluta re  
ad causam intestati; veluti vnde liberi, si filius emanci-  
patus est, vnde legitimi, vel vnde cognati: quarè bonoru  
hæc possessio, quæ in initio deserviebat præparandæ  
liti; in exitu, & ex postfacto deserviebat agnoscendæ  
successioni: idcirco in suis non erat necessaria propter  
continuationem dominij, quia resciso testamento, &  
rupta exheredatione, ipso iure heredes existunt, §. ita  
demum, inst. de heredit. que ab intestato defer. cum similibus.

3 Præparatur etiam quærela, aut, verius est,  
non præparata instauratur per actionem de dolo ab he-

*Ceteris fu-  
necessaria.*

*Petebatur e-  
illa parte ed-  
icti, ex qua re-  
ciso testamen-  
te ab intestato  
successurus  
rat.*

*Instaurate  
non nunquam  
p.*

*per actionem de dolo*, 1. si quis 9. §. item sit tabula 2. de dolo. rede filij exhereditati, quando exhereditatus ipse eam pre parare non potuit, quia scriptus heres suppressit tabulas testamenti, ne exhereditatus iudicium inchoaret, leg. si quis affirmavit. 9. §. item sit tabula 2. de dolo. Cuius præparationis effectus est, ut quærela transmittatur ad quemcumque heredem, siue legitimum, siue scriptum ab eo, qui de inofficio incœpit quæri. Præparata enim quærela transmittitur ex persona defuncti ad quemcumque heredem extraneum. Qua in re difficultis est textus in d. leg. Papinianus, versic. sequenti loco, vbi filius quærelam inofficii testamēti matris non transmittit ad patrem, quamvis decebat post petitam bonorum possessionem litis ordinandæ gratiā. Pro cuius explicatione multa involvunt Accursius, Bartol. & Fulgosius num. 7. Mihi tamen placet Cujacij expositio dict. lib. 9. cap. 14. quam in effectu sequitur Faber in rationali, quia prædicta bonorum possessio nihil continet rei, neque emolumentum, sed tantum ad præparandum iudicium deservit: id est nihil in ea est præter indignationem filij, quæ in patre transmitti non potest, l. filius 22. h. t. vbi dicam: & quia si pater agit, agit nomine filij, quo deficiente, quærela deficit. Ergo per ordinationem litis nihil est, quod de filio in patrem possit transmitti.

*Nontamen ad  
pasarem l. Pa-  
pini. 8. versic.  
seq. locoh. t.*

*Edictum suc-  
cessorum in  
quærela, ex l.  
pater 14. h.t.*

4. Alia causa est edicti successorij in quærela. Edictum successorium est transitus de ordine ad ordinem in successione: quod in successionibus ab intestato frequentissimum est. In quærela etiam admittitur. Species constabit in leg. pater 14. cum l. seq. l. si is, qui 3 r. hoc titul. de inofficio testam. Et quia ad rem parum facit multiplicare personas, sic simplicitè proponenda est. Pater emancipavit filium: filius emancipatus vxore ducta alium filium sortitus fuit. Sunt itaque avus, pater, nepos. Pater filium suum, quem voco nepotem, exhereditavit, extraneo herede instituto: qui adivit hereditatem; sic nata fuit quærela: patrem suum, quem vocavi avum, præterivit. Filius exhereditatus, qui posterior est, quam avus, pertulit quærelam, & succubuit.

Do-

Docet Papinianus, avi intentionem adhuc pendere; integrum, salvam remanere avo quærelam, postquam contrà nepotes iudicatum fuit; in qua intentionem suam potest implere. Eccè semotis descendantibus, qui ex priori, & potiori ordine erant, facit quærela transitum ad ascendentes. Hoc est, quod dicunt Iuris Interpretes, edictum successorium in quærela. Dicitur à præcedenti specie de transmissione: quod in quærela transmissa totum negotium est de meritis defuncti; quia heres exhereditati suscipit, & prosequitur inchoatum iudicium; non ex propria persona; sed ex persona auctoris sui, qui præparatam quærelam transmisit. In hoc verò edicto successorio (ut dicunt, nam de nomine parum sollicitus sum) inquiritur de meritis personalibus eius, qui succedit; nam i emotis proximioribus remotior quæritur ex propria persona. Itaque non est huius successioni locus, nisi postquam nata quærela est, perlataque, & in ea succubuit, qui prius egit. Quærela nascitur aditâ hereditate. l. Papinianus §. si conditioni 10. h. tit. quia tunc confirmatur exhereditatio, l. filium 20. de contrâ tabul. præparatur, quando inchoatur iudicium, & tunc in successori transmittitur: sed quando agens succumbit, tunc in alium ordinem transit.

5. Videamus, quid de gradu dicendum sit. Ponamus speciem. Avus à filio præteritus fuit, hic filius (loquor de emancipato) habebat filium, & nepotem: filium exhereditavit, nepotem, & patrem præteriit. Decessit testator, & ante eius hereditatem ab scripto aditam, decepsit eius filius, sed post ipsius testatoris mortem, quæritur, ad quem transeat quærela; an ad patrem testatoris, qui ex ordine ascendentium; an ad nepotem testatoris, qui est ex descendéntibus? Paul. Castrén. in l. si quis filium 34. C. hoc tit. Alciatus lib. 4. paradox. cap. 16. num. 7. Donell, lib. 19. comment. cap. 7. censem transferri de filio in nepotem; quia, inquit, si iam nata quærela transmittitur; multò magis transferetur non nata. Verum non recte existimant: primo quia non transmittitur,

Quatenus dif-  
ret à transmis-  
sione?

Defilio ad né-  
potem non ef-  
ficius successio-  
ni.

qua nata est, sed quæ est præparata. Deinde, quia neque ex successorio edicto potest in hoc casu transferri: quia nepos à patre exheredato præcessus tempore mortis testatoris, non officit contrà testamentum veniens, licet destituto testamento vocetur ab intestato, l. si quis posthumos 9. §. sifilium 2. de lib. & posth. l. si quis filio 6. de iniustorupto, l. scripto 7. unde liberi. Ergo neque per quæ relam poterit venire; vt non admittria ad contrà tabulas bonorum possessionem in superioribus notavimus. Facit etiam text. suprà expositus, in leg. 3. §. si emancipatus 5. de contrà tabul. ubi forte secundum necessaria iuris principia, supponitur ante avum patrem decessisse, vt de nepote quæri possit circà utrumque remedium. Verius ergo cum communi veterum dicendum est, ad nepotem non transferri quærelam in proposita specie; sed potius ad patrem transgredi.

**Ex quo, quid circà ius vetus correxit Iustinianus, in d. l. si quis filium 34. perspici potest.** Ex principio, ysque ad versic. Sed nos, refert stricti iuris angustias, & conclusionem ex eo elicitam contrà nepotis successionem, qui à veteribus iurisprudentibus sine ullo prorsus auxilio derelictus fuerat. In prædicto versiculo commendat prouidentiam suam Iustinianus, & eius præbervationem ab affectu, quo parentes prosequuntur tam nepotes, quam filios. Et in versic. *Iubemus* incipit nouam suam constitutionem emittere. Talis est, vt licet filius exheredatus non præparauerit quærelam; licet obierit ante quam, quærela nasceretur; transmittatur, tanquam præparata, ad nepotem: id circò iubet, vt non de nepotis meritis, sed de patris meritis disputetur. Igitur nepos non habet quærelam ex propriâ persona, sed transmissam à patre; & sic Iustinianus nihil aliud denudans, quam vt transmitteretur quærela, ante quam præpararetur, immo ante quam nasceretur. Hunc extum post veteres accepit Costa in §. & quid sitantum 3. part. num. 202. de nepote, qui patris suo exheredato ab avo heres extitit: summo cum iudicio, vt mihi videtur; quia in il-

**Exponitur, l.**  
si quis filium  
34. C. h. tit.

do, qui heres non est eius, qui de inofficiose potuit age-  
re, non potest tractari de transmissione quærelæ; quæ  
tantum in heredem transmittitur. Vnde infero, si à fi-  
lio exheredato nepos etiam exhereditatus sit, non posse  
dici transmissionem quærelam. Ergo quasi ex successorio  
edicto veniet nepos: alioquin mancum, & mutilum es-  
set subsidium Iustiniani, cum huic casui non prospexe-  
rit: quod minimè est dicendum, textus enim loquitur  
generaliter. Sed nunquid, quærendum tunc erit de ne-  
potis meritis, ut in casu edicti successorij queratur? Pos-  
set fortiter dici merita neporis, non patris perpendiculari-  
da. Sed ne abeamus à verbis Iustiniani, dicamus etiam  
in hoc casu quærendum esse de patris meritis, quod &  
generaliter censuit Annæus Robert. lib. 2. ver. iudicat. cap.  
9. pag. mihi 408. quia cum nouæ constitutiones à iuris ri-  
gore recedant, in illis potius intuemur Principum vo-  
luntatem, quam strictam disputationem. Cetera viden-  
da erunt apud Classicos ibid. Bonell. & Alciatum, in l.  
cum mota 6. C. de transaction. quibus cum morosè dispu-  
tare, vanissimum reproto. Tandem infert Iustinianus,  
si pater decesserit, postquam renuntiavit quærelę, vel  
tempore exclusus fuit, nepotem non admittit; quia ex-  
cluso patre, ex cuius persona admittendus erat, ipse ex-  
cluditur: ergo hic casus remanet in dispositione iuris  
ciuilis; ascenditque ad ascendentes quærela iure succes-  
sionis.

7. Videtur tamè in simili obstatere text. in l. fi-  
patronus 2. de bonis libert. Vbi si patronus à liberto præte-  
ritus ante quam peteret bonorum possessionem contrà  
tabulas decesserit; vel ei dies præterierit agnoscendę bo-  
norum possessionis, liberi eius, vel alterius patroni, pe-  
tere poterunt, ex successorio edicto: per quod succedunt  
sequentes, primis non volentibus, aut non valentibus  
succedere. Certum quippè est, nepotem à patre præces-  
sum tempore mortis avi, nec in iure dicendi nullum te-  
stamentum, neque in bonorum possessione contrà tabu-  
las, nec in quærela inofficiose testamenti scriptis heredi-  
bus

*Secus in bon.*  
*possess. contrà*  
*tabul. liberti.*  
*Ratio.*  
*Explicatur, l.*  
*2. de bonis li-*  
*bert.*

bus obstar e. Cur ergò obstat filius patroni , qui à patre præcedebatur tempore mortis liberti? Costa in §. & quid sit tantum 3 . part. num. 203 . censet, differentiam indè provenire, quod in hac bonorum possessione non queritur de iure testamenti , sed de iure patroni : docetq; hoc ius radicatum in persona patris , transferri in filium . Cujac. in recit. ad leg. 1 . de success. edicto . & sēpissime tātūm notat in hac bonorum possessione contrā tabulas liberti locum esse edicto successorio de gradu in gradum, de patre in filium . Sed hæc animum non explent. Quarè Ego existimo , vt filij patronorum admittantur, exclusis, vel decedentibus patribus post libertorum mortem, non esse eis opus edicto successorio , nec iure transmissio ex parentum persona: quippè lex XII. tab. quæ, suis defientibus, patronos vocavit ad successiōnem liberti, vocavit etiam filios: igitur ex propria persona ius habent , quanvis ordine successivo . Vlpianus in fragm. regular. tit. 27. & tit. 29. in princip. & §. liberi 4. vide Iacob. Gothofr. in quatuor fontib. ad ll. XII. tabul. in probat. ad tabul. 5 . cap. 3 . Cum ergò pariter vocati sint patroni , & filii ; omnes simul ius habent succedendi tēpore mortis ; pater verò excludit filium ratione proximitatis tantum : ergò ipso remoto exercet filius ius, quod ab initio habuit. In cæteris verò legibus, vel editiis successorijs, tantum proximus vocatus fuit, non filii proximi ; quarè ex propria persona ius non habuerunt, nisi qui proximi erant tempore mortis . Non recolo ceteras leges, & edicta : sed qui recoluerit, comperiet, veram esse nostram observationem.

Ius accrescen-  
di in querela  
impropriæ di-  
citur.

8 Sequitur, vt disquiramus de iure accrescendi in querela. De quo Cl̄ssici Auctores in locis mox allegandis anxiè querunt , & disputant. Nos statim fatemur , hos terminos conflictos esse ab Schola docendi gratiā; quia I. Consulti nunquam ysi sunt iure accrescendi in querela. Sed, vt sēpē inculco, cum rem habeamus, de verbis parum est curandum. In primis itaque statuo , int̄r diverso iure succedentes non esse locum iuri

int̄i accrescendi, l. sed cū patrono 6. de bonor. poss. Pone ergō duos scriptos esse heredes, & filium exheredatum; ex scriptis alterum repudiasset: portio repudiantis ad coheredem recurrit, non ad exheredatum. Ponit amplius, alterum ex filijs præteritum esse, alterum exheredatum: exheredatus non concurrebit cum præterito, nec ei partem facit, leg. si post mortem 10. §. liberi 4. cum seq. de contrā tubul. Solaque illi superest quærela, quæ agat contrā fratrem præteritum, qui per bonorum possessionem bona ab scriptis avocauit, leg. filium 20. de contrā tabul. quia diversus modus succedendi est bonorum possessio contrā tabulas, & quærela. Termini ergō nostræ quæstionis sunt, quando aditæ ab scriptis hereditate, multi sunt filii exheredati, qui de inofficio quæri possunt: in qua sequentes regulæ retinendæ sunt. Prima est, non potentium partes potentib. accrescere, quæ adē generalis est, leg. unic. C. quando non potent. part. accresc. vt ad hunc tractatū merito traducatur à cultioribus Iuris Interpretibus Cujac. ad novell. 18. col. 3. &

4. Anton. Fab. decad. 15. err. 4. magno, & illustriss. Preceptor meo in Academico tract. M. S. de iure accresc. cap. 1. num. 23. & alijs. Igitur si frater repudiaret quærelam, vel antè, vel postquam incœpit agere: ius eius recurrat ad fratrem, qui in solidum agere potest, l. qui repudiantis 17. l. si ponas 23. §. vlt. hoc tit. Quod si frater, qui nō repudiavit, egit, & obtinuit; & mox qui repudiavit, iterum velit venire, repellitur a fratre, qui vicit: quia exceptio, quæ prodest victori contrā scriptum, qui vitus est, prodest etiam contrā fratrem repudiantem; vt ex præcitatissimis. constat. Ex quo idem dicitur, si alter ex fratrib. tempore exclusus sit, quia & hic pro repudiante habetur, dict. l. si ponas 23. §. vlt. Quod si vterq; filius exheredatus egit, & alter vicit, alter verò ab scripto superatus fuit: pars victi non accrescit fratri victori, sed apud herem remanet; quia pro illa parte confirmata fuit exhereditatio leg. filio 16. in princip. dict. leg. 23. §. vlt. cum l. circa 24. seq. hoc tit. In præsenti leviter Nos

Alter non iu-  
rente, ius a te-  
ri accrescit.

Sed altero su-  
perato, portio  
eius apud here-  
dem remanet.

posset remorari, quod docemur in leg. Papinianus 8. §.  
quoniam 8. hoc tit. exheredatum, qui non egit, partem  
alijs facere: vt puta, si sint duo exhereditati, & alter non  
agat: alter pro diuinida parte agere debet; non in soli-  
dum. Hæc enim regula absolutè prolatæ, accipienda  
est, iuxta superiora principia: nempe si nondum egit,  
& potest agere: vel si non potest agere, quia tempore  
exclusus fuit. Quod si repudiavit, non facit partem, ut  
nugèr dixi..

## CAPVT XXI.

### *DE EFFECTV QVÆRELÆ inofficiosi testamenti.*

Effectus quære  
la primarius  
est reducere re  
ad causam in-  
sebat.

Exponuntur  
Inde prouenies-

De pupillari  
substitutione:

**E**FFECTVS quærelæ dissertè proponitur,  
& exponitur in leg. Titia 13. ibi. Probat au-  
tem, nec fideicomissa ab intestato data deberi,  
**QVASI A DEMENTE.** leg. qui repudian-  
tis 17. §. 1. hoc tit. ibi, testamenti factioñem habuisse defun-  
ctus NON CREDITVR. leg. eum, qui 21. §. ult. h. tit.  
ibi. Perindè omnia servari debere, ac si hereditas adita non esset.  
Hæc omnia consequentè: quia cum prætextus quære-  
læ sit, dicere, insanum fuisse patrem, qui filium imme-  
rentem exheredavit, consequens est, assumpta fictione,  
& colore, pro veritate; vt insanus, furiosusve intesta-  
rus decedat. Qui est quærelæ exitus, l. si maritus 22. C.  
hoc tit. leg. nec codicillos 5. C. de codicill. Magis peculiates  
effectus ab hoc vniuersali provenientes sunt; non vale-  
re substitutionem pupillarem factam filijs, vel institu-  
to, vel exheredatis converso per quætelam testamen-  
to, leg. in substitutione 31. de vulgari, iuncta leg. Papinianus  
8 §. sed nec impuberis 5. hoc tit. ybi extat exceptio, nisi  
tantum pro parte rescisum est testamentum, quæ faci-  
lem

Iem habet rationem. Notant Costa in §. Et quid si tantum 3. part. ex num. 120. Benedict. Pinell. lib. 2. selectar. cap. 3. num. 13. Goveanus, & Petrus Barbola in posthumis ad titul. de vulgari in dict. l. 31. vbi alios ciet. Nec deberi legata, fideicomissa, aut libertates competere, l. quod si in diem 16. §. idem Julian. 7. l. si quid petit or. 31. de petit. hered. l. 2. §. si quid ex testamento, l. 3. de condit. indebit. Ex quibus constat, repetitionem legatorum solutorum olim ipsi heredi testamentario solventi competitisse, qui tenebatur actionibus cedere in favorem filij querelantis: sed ex rescripto Hadriani directo, absq; cessione repetitio filio concessa fuit. Igitur quavis aditā hereditas sit ab scripto, & videantur competitisse libertates; tamē quandiu imminet querela, quandiu durat quinquennium, intrā quod perferri potest, non competit irrevoabilitè, nec firmitè, vt de bonorum possessione contra tabulas suprà medixil se memisi: elapsō tamē quinquennio, & excluso filio querelante mero iure incipiunt libertates irrevoabilitè competere; adeò, vt licet ex causa ætatis, vel ex alia magna contrā lapsū temporis concessa sit restitutio à Prætore, libertates, quæ semel competierunt, amplius non retractentur: rescisio quippe testamenti in hoc casu per querelam fit, verūm querelæ causam dedit remedium prætorium: Prætor vero non potest retractare libertates, quæ semel competierunt, leg. 4. §. 1. de fideicommiss. libertat. §. si is, cui s. inst. de eo, cui libertat. causs. bona addic. quare in hoc casu libertates, quæ per aditionem, & lapsūn termini ordinarij irrevoabilitè competierunt, non retractantur. dict. l. Papinianus 8. §. si ex caussa. 16. cum leg. seq. h. t. quas rectè expoluit Faber in iurisprudentia tit. 3. princ. 2. illat. 2. quamvis lib. 15. coniect. cap. 18. Et in rationali Tribonianum culpaverit.

2 Sed officias ingerit rescriptum Severi, & Antonini in leg. cum ex caussa 4. Cod. hoc tit. Proponitur in ea, servos in testamento patris fuisse per fideicommissum manumissos: eosque decreto Prætoris conse-

De legatis, &  
libertatibus.

Quæ comp.  
tunt in casu  
Papin. 8.  
vlt. hoc tit.

Et I. cum e  
causa 4. C.  
tit.

quotos fuisse libertatem, moratos fuisse in libertate: nā in-  
tēr hæc, aut fallor, aut nulla est in prætentī différētia: si-  
lios etiam procrease. Postea filios testatoris immēcen-  
tēr exheredatos egisse quærela, & obtinuisse; remque  
devoluisse ad causam intestatū. Quæritur, vtrūm reſcindantur  
libertates? Respondent Cæſ. non reſcindi, nō  
esse æquum fieri manumissis libertatis quæſionem:  
non esse à quærelantibus inquietandos. Ergò reſcifo  
per quærelam testamento non reſcinduntur libertates.  
Aliquid speciale esse in hoc text. quilibet perspicere  
potest; Baldus censuit, licet brevissimè, consistere eius  
decisionem in hoc, quod diū obtentæ fuerant liberta-  
tes, & sic forte post quinquennium, vt Ego doctrinam  
Baldi accipio. Paulus vero Caſtreñis ex illi mavit, idem  
dicendum eſſe, & si antè quinquennium quærela perla-  
ta fuisset: quod verius eſt, & conformius litteræ: docet-  
q̄e rationem specialitatis provenire, ex eo quod liber-  
tates reliq̄e fuerant per fideicommissum; quas non pu-  
tat reſcindi per quærelam: nullibi tamen in iure hoc re-  
peritur decisum: nec huic differentiæ assentiri possum.  
Accursius verbo *filios* asseruit, decretum fuisse specia-  
liſſimum, grave enim viſum fuit Imperatoribus in pro-  
positis circumstantijs libertates retractare: sed de caſe  
ero noluisse immutare ius receptum. A qua non disceſ-  
ſit in poſtremà Glosſa, quæ ſecundum antecedentem ac-  
cipienda eſt, non ſecundum diſtinctionem Caſtreñis, vt  
putabat Vazquez Menchaca ad eamdem leg. à quo parum  
diſcrepat Petrus Gil Kenius. Ego tamen exiſtimo ra-  
tionem specialitatis deſumendam eſſe ex illis verbis,  
quæ cum cura protulerunt Impp. ſecundum Prætoris de-  
cretum. Quiā tuuc quærela inofficioſi testamenti, quæ  
alioquin reſcindit aditionem, & libertates ab herede  
præſtitas; quaſi erubescit reſcindere illas, quæ ex Præ-  
toris decreto competierunt: indecorum quippe eſlet,  
vt Centumviri reſcinderent illum actum, cui robur,  
auctoritatēque præſtitus ſuus Peator. Exemplum ad-  
ducit Accursi, verb. Prætoris ex S. C. Rubriano, quando  
heres

heres latitat, ne manumittat servum à testatore liberū esse iussum per fideicommissum: quo casu perinde habetur per interpositionem decreti, ac si directò manumisus esset, leg. cum verò 26. §. subuentum 7. usque ad finem, de fideicommiss. libert. Alia, & fortè commodiora, delumi possunt ex Iunciano, & Art eculeiano S. C. Quæ quasi digito ad fontem extenso indicasse sufficiat, pro huius legis explicatione, quæ casum singularem prædictum continet.

3. Tertius effectus specialis versatur circà clausulam codicillarem: pone patrem ex heredato filio, & extraneo herede instituto, cum timeret testamenti existum, repetijisse per fideicommissum dispositionem ab intestato: rogat e venientes ab intestato, ut præstarent, de quibus in testamento caverat. Hæc est clausula codicillaris. Filius rescidit testamentum patris per quærelam: ipsa etiam clausula codicillaris rescinditur: omnia enim aguntur tanquam à demente ordinata: ergò & clausula dementis fuit, & per consequens non subtinenda, leg. Titia 13. hoc tit. l. nec fideicomissa 36. delegat.

3. vbi dixi ad notas Claudi lib. 4. Opuscul. adde Pinell. dict. cap. 3. num. 35. Nec est contrarius elegans locus Papiniani in leg. si patroni 55. §. vlt. ad S. C. Trebell. vbi doce-  
nur evicta hereditate à legitimo herede, si cœpit age-  
re cum scripto ante restitutam hereditatem: spirare,  
extingui actiones utiles per restitutionem translatas  
in fideicommissarium: hoc significant illa verba: *actio-  
nes temporarie solent esse.* Id est, solent finiri, vt expoluit  
Cujac. magnus Papinianus Interpres. Reddit rationem;  
quia poterat evictionis hereditatis fecit irritam resti-  
tutionem fideicommissi, fecit indebitum fideicommis-  
sum; substulit conceptum fideicommissi. Quod ab in-  
testato non debetur: nisi, vt concludit ab intestato re-  
petitum fuit: quia tunc vires capit, ab ipsa legitima suc-  
cessione; prætandumque erat ab ipso legitimo evin-  
cente hereditatem: ergò cum prætitum sit ab scripto  
debet manere salva restitutio. Ioannes Vetus Glosator

De clausula  
dicillari.

Explicatur I.  
si Patromi 55.  
§. vlt. ad Tre-  
bell.

apud Accurs. glossa magna, accipiebat hunc textum de hereditate evicta per quærelam: sed male; quia si testamentum per quærelam rescinderetur, non deberetur fideicommissum ab intestato. Ergo accipiendus est Papi-nianus, de testamento non iure facto, ita tamen quod in vim codicillorum ab intestato posset substitueri; ut legi-timus evincere possit ab scripto hereditatem: & simili obligatus remaneat præstare fideicommissa ab intesta-to repetita, ut supponunt Cujac. lib. 20. qq. ad eundem text. noster Valentia lib. 2. illustr. tract. 2. cap. 10. num. 17. & 18.

*tribuuntur  
mediatae colori  
mnes effectus.  
ed immedia-  
tæ sententiae.*

*tæque metien-  
i sunt per ea,  
r si absurdæ  
ideatur.*

*Ideò pro parte  
quandoque sub-  
linetur testa-  
men-*

4 Sed quamvis hic effectus evertendi testamen-ti attribuatur quærelæ, & colori, aut prætextui sub quo proponitur; tamen primò, & principaliter imputandus est sententiæ Centumvirorum: sententia quippe est, que facit intestatum patrem famil. qui ritè fuerat restatus se-cundum obseruationem juris Ciuilis. Cuius tanta po-testas est, ut inter partes ius faciat, quomodo cumque iu-dex decernat, siue æquè, siue iniquè. Pragmatici sic ef-ferunt, sententia facit de albo nigrum, æquat quadrata rotun-dis, l. ius Ciuale 8. de iust. & iure, l. ingenuum 25. de stat. ho-min. l. seruo inuitio 65. §. cum Prætor 2. ad Senat. C. Trebell. l. res iudicata 207. de reg. iur. De quo ex professio egi in Scholastica relectione ad l. sepè 63. de re iudic. addēdus etiam D. Valentia, lib. 2. illustr. tract. 2. cap. 5. Igitur cum effec-tus sententiæ ex verbis ipsius deducendus sit, non à ra-tione, aut paritate, quamvis irrationalis, & iniqua vi-deatur: consequens est, ut si ex duobus filijs exheredatis alter egerit, & obtinuerit, alter succubuerit: testamen-tum rescindatur pro parte vincentis; & substatetur pro parte vicii: & sic aditio pro parte irritetur, pro parte te-neat: testatorque pro parte maneat testatus, pro parte in-testatus. Effectus huius partialis, aut partiariæ rescisio-nis sunt, ut legata, & fideicommissa pro parte tantum debeantur: libertates fideicommissariæ præstandæ sint soluta parte pretij à manu missis, quod & de servituti-bus relictis placuit; directæ vero competunt non reciso-toto

toto testamento, & eodem modo substitutio substitutio pupillaris; qui omnes deducuntur ex l. Papinianus 8. §. sed nec impuberis s.l. nam C s 15. §. vlt. l circa 24. ff. hoc tit. l. cum duob. 13. C. eod. tit. l. cum filius 76. l. Titia 87. §. Imperator 3. cum seq. de legat. 2. d. l. in substitutione 31. de vulgari, l. iudicat. 29. de exceptione rei iudic. l. in ratione 11. §. Imperator 2. ad leg. Falcid. Eatamen, quæ amittit filius exheredatus, amittit, & si pro parte tantum rescindatur testamentum, quia verum est exhereditum manere, qui in totum testamentum non recidit, ut de successione libertorum docemur, in l. si patronus 12. §. si filius 4. de bonis libert. notat Pinell. lib. 2. select. cap. 8. ex num. 11. Si vero pars iudicantium protestamento iudicauerit, pars vero contra testamentum: testamento fauendum est, ne rescindatur, l. si pars iudicantium 10. hoc tit. ut de liberali causa docemur, in l. inter pares 38. de re iudic. Quod est mirum; ut plus faueat ius extraneo heredi scripto, quam filio quæ relam proponenti. Sed ita est, quia fauor testamentorum est publicus, l. vel denegare & quemadmodum testam. aperiant. Addenda huic numero sunt, quæ dixi lib. S. opusc. cap. 4.

Exceptio praecedentis doctrinæ extat, in l. qui repudiantis 17. §. vlt. hoc tit. Quando herede non respondentem, ex errore iudicio contra testamentum pronuntiatum est; rescinditur quidem heredis institutio, sed sententia contra heredem lata non facit ius contra legata, fideicomissa, libertates, quæ debentur a filio, competitque, de qua re extat constitutio DD. Fratrum, quæ huiusmodi distinctionem admissit, ut dicitur in l. seq. Quod si sententia contra testamentum proferretur, herede legitimè illud defendantem, quia legitimus contradictor est, & cuius principaliter interest, omnibus res aduersus heredem iudicata noceret, qui ex testamento causam haberent, l. si superatus 3. de pignoribus. Quinimò si presens heres, litigie assistens condemnetur, non agens ex bona fide causam, vel per lusoriam agens; quamvis non competit ipso iure libertates, nec debeantur legata,

mentum; &  
pro parte ref-  
cinditur.

*Nisi herede no-  
spondente pre-  
nuntietur.*

*Si respon-  
te, legatarij  
præiudicat.*

*Nisi colludat.*

gata, quia præfata cōstitutio deficit; permittitur saltem appellare servis testamento manūmissis, legatarijs, fideicommissarijsve ex rescripto Imperatoris Antonini Pij, & ex integro instaurare defensionem, l. si suspecta 27. hoc sit. l. si servus 50. §. 1. & §. si ante 2. de legat. i. l. à sententia 5. l. si perlusorio 14. pertotam de appetat. Eueniet ergo, ut legatarij agant, prætendentes filiū iustè fuisse exhereditum: filius vero opponat exceptionē, se fuisse immernter exhereditū, ut in specie text. in l. Papinianus 8. §. si filius 13. hoc sit. Si vincant legatarij præstabūtur legata, quamvis institutio rescisa sit. Quod non est novum, l. proximè 3. de his, quæ in testam. delent. quærela quippe limitatè rescindit, pro qua parte vicit. Sed à quo præstabuntur legata, & fideicommissa in hoc casu? Sic distingo: si dolo succubuit heres scriptus, ipse etiam tenebitur, tanquam si dolo desiderasset possidere res hereditarias, d. l. 50. §. si ante 2. infine, quod si tantum arguatur minus plena defensio, desidia, & contumacia; heres teneri non potest, quia hereditaria bona non possidet, d. l. in ratione 11. §. Imperator 2. ad leg. Falcid. & tantum filius tenebitur. Quærella multa habet singularia, & hoc est singularissimum, quod si a herede testamentario, & rescisa aditione, competunt libertates, & debentur legata.

6 Hodiè ex caussa præteritionis, aut exhereditationis, si nullum dicatur testamentum, vel rescindatur per quærelam, aut ex quovis alio capite, veluti ruptura polthumi &c. institutio rumpitur: cætera vero firma permanent, auth. ex caussa C. de liberis præterit. In quo iure nouissimo non immotor.



## CAPVT XXII.

*QVIBVS MODIS QVÆRELÀ  
finiatur: & primò de renuntiacione,  
& remissione.*

**R**EVNTIATIONE expressà finitur quærela: *l. si quis filium 34. C. de inofficio testamento. hoc tit.* Quod nullam continet difficultatem. Vel si post ordinatam quærelam litem dereliquerit, *l. Papinianus 8. §. si quis 1. hoc eod. tit.* Aliud est derelinquere litem, aliud ab ea desistere: desistere est, palam liti in totum renuntiare, *l. desistiſſe 10. de iudicijs, l. desistiſſe 13. ad Senat. Conf. Turpill.* Derelinquere litem est, sinere, ut terminus elebatur præfixus à Centumviris ad aliquos actus iudiciales peragendos, cum comminatione, vt elaps⁹ termino non sit audiendus, qui quæritur de inofficio ita Accurs. & Bart. in d. leg. 8. §. 1. argumento ex leg. cum Titia 18. de accusation. iungendi sunt text. in leg. si eo tempore 6. l. hypothecas 8. C. de remiss. pignor. l. accusationem 6. cum seq. C. qui accusare pos. l. 1. C. ut intrà certum tempus quæst. termini. In quærela facilius, quam in alijs litibus remissio, & derelictio præsumittur, quia est odiosa, & instar actionis iniuriarum, vt docuit Fulgosius, & infra repetam. Verum tamen est, si minor sit, qui litem dereliquit, posse quærelam reparari, imputatà à Prætore in integrum restitutio, leg. 1. Cod. de in integr. restit. Ex quo apparet, non per omnia utramque actionem similem esse: quia remissa iniuria, vel diſimulanti, aut litem derelinquenti minori non conceditur restitutio, per quam iterum illam suscitet: quærela enim hereditatem persequitur, quanvis indignationem filij, & contumeliam prolequa-

Finitur renuntiacione, & litiis derelictio ne.

*Minor litem  
derelictam po  
terat per resti  
tutionem rep  
rare.*

tur. Sed iniuriarum actio solam vindictam continet, ita ex l. auxilium 37. de minor. Ioannes Mauritus restitut. in integr. cap. 149. Caldas Pereira in leg. si curatorem habens, verb. l. fasis num. 28. & 29. C. de integr. restit. Non tamen ex hoc censendum est cum Mauricio, quærelam esse favorablem: cum contrarium suadeat text. in leg. si pars iudicantium 10. hoc tit. cuius suprà memini,

*Transactio-* **2** Ut renuntiatione liberà finitur quærela, ita finitur, si propter causam, aut dationem liti renuntiatum sit: quæ est transactio, leg. qui repudiantis 17. l. si ponas 23. §. si duo, l. si instituta 27. l. sufficiat 29. §. quamvis, hoc sit. Quod si pactio transactionis a lite quærelæ discessum fuit, nec heres scriptus impleat, potest exhereditatis redire ad quærelam, instaurare quærelam, d. l. si instituta 27. Cui vulgo opponitur text. in leg. cum motu 6.

*Perfecta, que actionem tollit, si per contractum fit, vel imperfecta, que fit per partem.* C. de transaction. in qua heredibus matris, quæ transfigit, non permittitur instaurare quærelam, licet scriptus heres pro sua parte non adimpleat: sed conceditur ad ius præscriptis verbis, vel ex stipulatu, si transactio stipulatione firmata fuit, ut id, quod sua interest, per se equatur. Respondent tamen, in dict. l. 27. transactionem fuisse celebratam ante præparationem quærelæ, sed nihilominus ab ipso transigente potuisse instaurari. At vero in d.

*Exponuntur, & concordan-* l. si instituta 27. hoc tit. l. cum motu 6. C. de transac- tur. l. si instituta 27. hoc tit. l. cum motu 6. C. de transac- tion. **l.** 6. in qua idem supponunt, non potuisse præparari ab heredibus: quia quærela non præparata non transmittitur, leg. posthumus 6. §. vlt. l. quemadmodum 7. hoc titul. Quæ est frequentior, & antiquior modus componendi hanc antinomiam excogitatus ab Accursio, Bartolo, alijsque Veterib. apud Iassonem in dict. l. 6. num. 18 & 19. quem amplectuntur Donell. ibid. num. 4. Oroz, licet breviter, lib. 3. de apicib. iuris civil. cap. 12. num. 9. & 10. vbi alios adducit. Verum communis haec solutio meritò displicuit multis apud Genoam in lib. legum conciliatar. pag. 113. & seqq. Fachinæ lib. 1. controvers. cap. 10. quia in d. l. 27. constat præparatam fuisse quærelam, per verba illa: si institutus, &c. debetque idem constare ex dict. l. 6. vbi similia proponuntur, nempe cum motu.

mota. Ergò quando transactum fuit, iam fuerat mota,  
& per consequens præparata. Igitur ex defectu præpa-  
rationis non desierunt heredes habere ius transmissum  
quærelæ. Igitur si ipse transigens eam potuit instaurare,  
etiam heredes possent.

3 Cum in hanc difficultatem inciderim in no-  
nissimis meis prælectionib. ad leg. intèr stipulantem 83. §. sa-  
cram. de verb. oblig. ad finem. solutionem petendam esse  
existimavi ex illis verbis dict. leg. 6. Omissam quærelam  
instaurari iuris ratio non sinit. vt sit sensus; si quærela omis-  
sa, & remissa fuit; id est, si actio de inofficio fuit abo-  
lita, id est, extincta; contrà iuris rationem est, vt actio  
semèl extincta suscitetur, dict. §. sacram. Itaque dict. l.  
6. loquitur de non instauranda semèl extincta quærela.  
At vero dict. l. 27. loquitur de quærela non extincta,  
sed pacto transactionis sopia: quæ iterum redire po-  
test, vt in exemplis, quæ proponit Paulus in d. §. sacram  
vbi & Noslate fuimus prosequuti. Sed labor, & opus  
est investigare indicia, ex quibus depromamus hanc  
differentiam, ne solutio laboret divinationis vitio. Et  
quidem in dict. l. 6. expressum verbum habemus: illud  
omissam quærelam: omittitur, cum remittitur: remit-  
titur vero, cum pace facta, quis discedit à lite conten-  
tus parte bonorum; & in instrumento iniuriam patri  
remittit, contentus, contentave parte hereditatis, aur-  
re aliqua. Itaque pax de præsenti facta, quies animi, de-  
positio iracundie, appellatur remissio quærelæ, & ope-  
ratur huius actionis extinctionem omnimodam: & fit  
per contractum inominatum, sic: discedo à lite quære-  
la, vt mihi illud des. Ergò cum omisla quærela nec à  
transigente, neque ab heredibus possit sollicitari: conse-  
quens est, vt sola ad id, quod intereat, supersit actio.  
Quod si post institutam quærelam, ita transactum fuit,  
vt nulla remissio fieret, poterit ad eam redire, qui tran-  
segit: quia sopia tantum fuit, non sublata, de hac spe-  
cie loquitur manifestè dict. l. 27. vt constat ex illis ver-  
bis: de lite pacto transactum est, in quibus Vlpian. loquitur

*Nova exposi-  
tio.*

de imperfesta translatione, quę mansit in nudis terminis paci. Ita sit, vt alibi dixi, discedam ( de futuro ) à li-  
te, vt mihi des. Nec statim discessi, nec tu dedisti. Quā-  
do ex nulla parte implementum cepit, nūdum pactum  
est. leg. iuris gentium 7. §. sed cum nulla, ff. pactis. Igitur  
præscriptis verbis agere non possum : & per consequens  
nullum aliud re medium transigent i per pactum super-  
est, suppetitve, quām quæ relam sotitam instaurare. Quā  
integram esse placuit, id est, non remissam, docet sub-  
tiliter Vlpianus.

4      Quæ doctrina petit, vt funem trahamus, ser-  
ramque, vt ait Tertullianus, reciprocemus cum Dom.  
D. Hieronymo de Oroz ex Sodali nobilissimi Pinciani  
Collegij Sanctæ Crucis, & Sexti in illa perillustri Scho-  
la Antecessore, nupèr meritissimo Auditore Granaten-  
si ; qui sibi non inglorium putavit, exadverto dicere, &  
nostras opiniones ex lib. 2. Opuscul. sect. 1. & 2. vel à no-  
bis approbatas oppugnare, famam, preciumque nomi-  
nis ex conflictatione affestans. Erunt, qui existiment,  
consultiūs me facturum, si quasi omīssas, oblitasve cō-  
tradicitiones illas habuerim : proba quippè, & tana do-  
ctrīua, sine ambītione innovandi, sine libore contradic-  
ēendi tradita, se ipsam defendit, & cum ei opus defen-  
sionula est, voluntarios, gratuitosque invenit defen-  
sores. Deinde libidi exulcerationi animi dabunt, obie-  
ctis respondere : & proterviæ, contumaciaq; firmiter in-  
præcogitatis, & prætraditis perseverare. Mihi verò aliud  
sedet tam ex mea, quām ex Amicorum sententia ; & li-  
brum de conditione cum alio didascalias nostræ de adqui-  
renda possessione, Lugdunum destino defensionis, nonnū-  
quām correctionis causa, doctrinæ propriæ. *Noli esse hu-  
milis in sapientia tua ; ne forte humiliatus in fluitiam seduca-  
ris.* Inquit Divina Sapientia, Ecclesiastici cap. 13. versic.  
11. Superbiā, verborum fastum, animiq; iactantiam  
effugere curabo ; si secūs lectoribus à me aversis visum  
nihilominus fuerit, recoquunt saltē illud D. Hiero-  
nymi de confutata Ioannis Episcopi Hierosolymitanī  
episto-

*Defensio cuius-  
dam opinionis  
Oposculorum  
suscepitur, &  
causa proposi-  
tumque susci-  
piendi.*

epistola. Quæso, inquit, ignoscite dolori meo: nam si superbum est respondisse, multò sit superbius accusaſſe.

s. Prædictus ergo Auctor dicit. lib. 3. cap. 12. impugnat doctrinam a me traditam lib. 2. Opusculorum sect. 1. cap. 5. num. 21. quæ fundavi, transactionem non esse ex se, & ex proprijs terminis contractum, seu speciale aliquod pactum: sed tantum esse causam pacifice. di, aut contrahendi: id est, pacifcor, quia volo à lite discedere: in hoc sensu eit causa. Idem est dicere, esse materiam, circà quam pactum, vel contractus versatur: quia pacifcor, vel contraho; quia cupio à lite discede. re, circa discessum ipsum. Prius est, vt opiniones nostræ percipientur; de quo parù in curavit Oroz, quām vt re. futentur: non dixi, transactionem non posse fieri per contractum: immo contrarium assertui ex dicti. l. cum mo. ta 6. l. si profundò 33. C. de transactionib. sed ipsam trans. actionem esse materiam informem, quæ ad effectum, ad formam reducitur, nonnunquam contractus incerti, nonnunquam stipulationis, nonnunquam pacti nudi, & inefficacis ad agendum. Transactionio petet, vt pro disces. su à lite aliquid de præsentí detur, vel in futurum pro. mittatur: vel vt aliquid de præsentí fiat, vel in futurum faciendum promittatur: si gratuitus sit discessus à lite, non eit transactionio, leg. 1. de transaction. Pone, ita transactum esse: discedam à lite, vt Romam eas, vt mihi des. Transactionio eft: interim consopita lis eft, si illam excito, potest adversarius exceptione pacti transactionis me repellere, & tunc implere. l. intrà 41. de pacclis. quia licet dare alio, quia in novam obligationem transfuſa non fuit, nec sublata, quod agnoscit Oroz d. cap. 12. num. 4. nihilominus substitetur pactum trans. actionis per exceptionem eius, qui vult implere. Quod si statim discessi à lite, remisi actionem de præsentí, vt dares: feci, & te obligavi ad dandum: substituli meam veterem actionem: & nascitur nova actio ex contractu incerto præscriptis verbis. Quod Oroz num. 6. dixit nū. quam in iure fieri mentionem actionis, quæ ex transa.

Nemp̄ transa. tient esse caus. sam, vel mate. riā cīrc quā, non contractū, nec pactum spe. ciale.

Quid petat tra. satio?

ctione nascitur: inconsequens est doctrinæ, quam contrà menititur fundare: si enim est contractus; quomodo expers est actionis? Si continet Synallagma, quomodo inefficax est? contrà text. *in leg. iuris gent. 7. §. 1. cum seqq. de pactis.* Et quanyis subterfugiat, non poterit effugere text. *in dict. l. 6. & in d. l. 33.* quos citavi, in quibus ex ipsissima transactione actionem oriri docemur. Superest quærere, si decessi à lité de facto, nec interposui Aquilianam, an sublata sit vetus obligatio? Dixi sublatam esse, quanyis Aquiliana interposita non sit, nec demortuam posse suscitari amplius actionem. *d. lib. 2. sect. 2. cap. 1. num. 10.* aliosque laudavi. Oroz. *d. cap. 12.* agnoscit hac formâ simplicissimè transactionem celebrari, quæ effectum suum operetur, & Aquilianam ex abundanti tantum adhiberi docet. Nihilominus cum idem sentiat, & me cieat; dignum me notâ censem. Sed hic perstrepit libor, non ratio. Ecce vbi transactio, servat à propriâ essentiâ potest fieri per stipulationem, per contractum innominatum, per pactum nudum, antequâm subsit causa, antequâm obligatio initium sumat. Ergo non est contractus, sed materia contractus, quæ diversas expectat formas,

*Satis fit Orozij fundamentis, 6. Satisfaciamus fundamentis Orozij, quæ posuit num. 2. Dicitur contractus *in leg. contractus 17. C. de fide instrum.* ibi, *Contractus, & infra transactionem.* & *in l. cum te 5. C. de transact.* Ergo est contractus. Respondeo Cels. supponere esse contractum, & substineri, quanyis de eo per scripturam non constet: quod non negamus, nam si incepit à præsenti discessu, vel stipulatione roborata sit: est contractus, siue in formam contractus transit hæc materia. Nullus tamen locus est, fidenter dicam, qui decidat, contractum esse, ex eo quod sit transactio. Secundum fundamentum est. *Omnis species do, ut facias, vel facio, ut des, contractum innominatum facit.* Sed omnis transactio eius speciei est. Ergo est contractus innominatus. Verba sunt Orozij. Miror tamen dialecticæ non experitem, ut ex lectione huius libri perspicio:*

Non distat spe  
cificè ab Aqui-  
lianâ.

Satis fit Orozij  
fundamentis,

Non quid po-  
test fieri per co-  
tractum, est co-  
tractus.

Orozius affu-  
nit proconfi-  
ti, quod debe-  
bat probare.

spicio: assūmere contrā me minorem propositionem, quam ipse negavī, & de qua tota controversia est. Nego transactionem ex terminis esse illius speciei: quia reducitur ad illam, quando sumit formam contractus innominati. Videamus quomodo probet. Quia transactio, inquit, nullo dato, vel retento, vel promisso minimè procedit. Concedo rationem: nego tamen ad rem esse: transactio de discedendo à lite data ob id, vel retenta aliqua re, est purus distractus, nullam obligationem producit, veterem tollit, extinguitque, nec qui discessit à līte, illā movere amplius potest; nec qui dedit, repetere potest, quod dedit, quam doctrinam me suprà meritum laudato agnovit idem Oroz. eod. cap. num. 20. Quod si effectiva dātio non intercessit, sed promissio de futuro, iterū pro certo statuit, quod debet probare; prēmissionem efficere, ut transactio sumat formam contractus; quod Ego nego; nisi litigans de præsenti discessit, remisitque litem: tunc sit contractus, quia fecit, & producit actionem præscriptis verbis, ad id quod intercessit, si promissor non impletat. Eccē secundum fundamentum deficit tam in forma, quam in probatione. Tertium est. Omne pactum nudum est gratuitum, l. iuris gent. 7. § sed cum nulla 4. de pact. Sed nulla transactio gratuita esse potest, d. l. transactio 38. C. de transact. l. 1. ff. eod. tit. Ergo transactio est contra fatus innominatus, & incertus. Ne de fide mea queratur, fidelissimè eius verba transcripti: in quibus multiplex error est in Iurisprudentia, & Dialectica. Consequentia ita ex præmissis debuit deduci. Ergo transactio pactum non est. Quia nihil in prioribus propositiōnibus p. æmiserat de contractu innominato: lex vero Dialecticæ non patitur, ut sub novis terminis deducatur consequentia: quia à diversis non fit illatio. In Iurisprudentia errat, quatenus docet omne pactum nudum esse gratuitum, per quod vult significare interpositum ex causa liberalitatis, siquidem per hoc illud opponit transactioni, quæ debet fieri aliquo dato, vel retento. d. l. 1. Hoc aperte falsum est, quia placitum de permittando,

Deficit in assumptione probacione, quam proiecit, quasi aliud agens.

Deficit in forma argumentandi.

Quatuor termini sui syllogismi.

Et in iure.  
Quia pactum nudum substantia non consistit in eo, quod sit gratuitum.

tando, antequam implementum ex una parte interveniat, pactum nudum est. leg. ex placito 3. C. de rer. perm. quia neque nomen, aut propriam formam contractus habet; nec adhuc subest causa, qui est sensus d. §. sed cum nulla 4. quem perperani in alium distorquet. Ergo quod sit pactum nudum, non provenit ex liberalitate, aut ex onere: sed ex def. etu causa. Demus vero, suam formam constare syllogismo, neque in iuris principia pecare; conclusio erit haec. Transactionio non est pactum nudum. Igitur est contractus innominatus. Perversa consequentia: quia non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. Fateor, non esse pactum nudum: non vero per hoc fatebor esse talēm contractum: ideo enim pactum non est: quia est materia, circa quam pactum, vel contractus versatur. Ita cum Orozio primum prælia mur prælium innocue, & sine felle imo sine talibus. Nunquam tale aggredi speravi; profiteri quippe possum de me, quod de se Telemachus apud Homerum. *Infirmi sumus, & non docti depugnare.*

*Differentia in* *tum superest notare differentiam inter querelam, actionem iniuriarum,* *et querelam.* De remissione, ut ad lineas redeamus, tamquamque iniuriarum Cuiacius lib. 17. obseruat. cap. 17. utramque solleter comparavit; nihilominus paulo pinguis dixisse censuit Osuald. ad Donell. lib. 19 cap. 3. lit. E. Actionem iniuriarum potest pater pro filio movere, etiam invito eo, nulla enim est tam personalis filii, propter quam pater non possit agere. Vide excusum 6. lib. 3. analecto de interdict. Querelam non potest pater movere invito filio leg. Papin. 8. in princ. hoc titul. quia solius filij indignatio est, l. filius 22. hoc tit. Iniuriarum actio pacto nudo, nam hoc est pactum legitimū liberatorium, ipso iare tollitur, ut transactione, & remissione. leg. si tibi 17. §. 1. de partis, l. non solum 11. §. iniuriarum 1. de iniur. Querela vero pacto transactionis consopita, redit, & restauratur, si heres fidem non implevit, quia integra mansit, d. leg. si instituta 27. hoc tit. Quod sic in effectu comprehendit Oroz d. cap. 12. num.

ro. sicut nostis his terminis non utatur. Actio iniuriarum non conferrur, l. 2. §. emancipatus 4. de collat. bon. Sic remissa quærela patrono libertus fraudem non facit, quia neque in bonis est, l. 1. §. sed si 8. si quid in fraud. patron. Sed actio iniuriarum ante litem contestatam in patrimonio non computatur, l. iniuriarum 28. de iniur. Quærela verò incipit in bonis computari, & transmitti ad heredes, simul ac est præparata, leg. posthumus 6. §. vlt. cumseq. hoc titul.

## CAPVT XXIII.

### DE ALIIS MODIS TACITÆ renuntiationis, quibus quærela finitur.

Deque indignitate ab im-  
pugnatione.

**L**APSUS temporis pro tacita renuntiatio-  
ne est leg. Papinianus 8. §. vlt. hoc tit. l. si quis  
filium 34. in fine C. eod. tit. Forsan olim cur-  
rebat minoribus: posteà de minori aetate  
cepit decomputari, & minoribus non currere. leg. 2.  
C. in quib. causs. in integr. restit. non sit necess. ideo indict. §.  
vlt. Supponitur adversus lapsu termini concessam  
fuisse in integrum restitutionem ex magna caussa, de  
qua in leg. 1. in fine, ex quib. causs. maior. quæ dicitur, si  
qua iusta causa esse videatur; quæ est inducta favore  
maiorum: quia ex causa aetatis non erat iam necessaria,  
d. leg. 2. Creditur olim fuisse biennium ex Plinio lib. 5.  
epistola 1. Sed ex iure quinquennium præfinitum fuisse  
ex prædicto textu docemur.

**2** Sic similitèr, qui approbavit iudicium de-  
functi, illud posteà inquietare, vel impugnare non po-  
test. Exempla, limitationesque faciles extant in leg. Pa-  
pinianus 8. §. si conditoni 10. l. si pars iudicantium 10. §. 1.

Tacita renun-  
tiatio. Lapsu  
termini.

Nova Iurispr  
udentia non cu  
rit minoribus.

Tangitur l. D  
pin. 8. §. vlt.  
hoc tit.

Olim bienni  
fuit, nunc qui  
quennium.

Approbatio in  
dicū defuncti  
Et ex quib.  
caussis induca  
tur.

l. nihil interest. 12. per totam. l. si ponas 23. §. si hereditatem  
 1. hoc sit. Quod si bona paterna obtineat filius per suc-  
 cessionem, nemp̄ scriptus heres ab herede, quem pro-  
 parte parer scriperat; contrà alterum patris heredem  
 de inofficio quæri potest. leg. si is, qui 3 1. §. si heres hoc  
 sit. Secùs si is, cui pater rem legaverat, legaverit eam-  
 dèm rem filio exheredato; & is ex testamento heredis  
 patris rem illam consequatur: quia non consequitur il-  
 lam per consequiam successionis; sed primò, & prin-  
 cipaliter approbans iudicium patris, ex cuius voluntate  
 ad auctorem suum pervenit, ut dicitur in §. seq. Vnde si  
 rem legatā titulo universalis heredis adquirat, quia à le-  
 gatario patris scriptus fuit; non videtur approbasse iu-  
 dicium, neque à quærela repellitur: quia non speciali-  
 tè rem patris adquisivit, sed cum hereditate coniun-  
 ctam: ideo si auctor suus nondum illam apprehenderit:  
 & contrà heredes patris ad illam consequendam agat fi-  
 lius exheredatus: amplius quærelam movere non po-  
 test; quia speciali rei petitione, specialiter iudicium  
 patris approbavit leg. vlt. §. 1. hoc sit. Item qui ex vo-  
 luntario officio, veluti procuratoris, vel aduocati, pro  
 alio petente legatum, aut fideicommissum patrocina-  
 tus fuit, repellitur à quærela, dict. l. vlt. in princip. Tu-  
 toris vero officium, quia necessarium est, excusat, leg.  
 adversus 30. §. 1. hoc sit. iunct. l. vlt. de postulando. In quo  
 distat quærela ab impugnatione falsi, aut non iure facti  
 testamenti. l. post legatum s. in princip. leg. qui testamentum  
 24. de his, quib. vt indign. Eadem de bonorum possessio-  
 ne contrà tabulas patris docemur in leg. 3. §. vlt. l. si post  
 mortem 10. §. si in adoptionem 2. cum seq. leg. si duobus 14. à  
 princip. de bonor. poss. contrà tabul. l. filium 5. §. omnibus 2.  
 cum seq. de legatis præst. Et de bonorum possessione con-  
 trà tabulas liberti. leg. et si ex modica 6. §. vlt. cum duab. ll.  
 seqq. leg. nihil interest 50. per totam, de bonis libert. Quæ est  
 Tryphonini mei ex lib. 17. disput. & continet elegantes  
 inspectiones, que ex prædictis possunt illustrari, dum  
 commodius tempus fortiamur illam ex proposito ag-  
 gre-

dém obtinet  
 bonorū pos-  
 s. contrà ta-  
 b. patris,  
 it liberti.

gredlendi. In quibus omnibus illa exceptio viget, ut si minor sit, qui approbat iudicium, possit impetrare restitutionem contrà approbationem, & quem relam sic proponere, aut contrà tabulas petere. leg. parentib. §. 1. C. hoc tit. l. post legatum 5. §. etati 9. de his, quib. ut indign. l. si vero 8. §. vlt. de honor. libert.

3 Ut is, qui agnoscit legatum, vel aliud quod libet relictum, non potest contrà testamentum agere; ita qui contrà testamentum egit, non potest cum effectu capere, aut retinere, quod sibi in testamento relictum est: cuius sit indignus. leg. Papinianus 8. §. meminisse, hoc tit. l. edicto 13. §. pen. de iure fisci l. si sub cōditione 18. §. 1. de cōtrā tabul. l. filius 5. §. 3. de legat. præst. Vbi extatcasus, in quo filius, qui ex liberis est, qui contrà tabulas petere possunt, non capit legatum, indignus fit legati: quia impugnavit iudicium paternum petitâ bonorum posses- sione contrà tabulas, quia ipse petijt: quod caperet, si alius filius peteret, de quo dixi in superioribus ad versarijs. Idem in patrono. leg. in servitutem 16. §. si quis 5. cū seqq. de bonis libert. Imò qui contrà tabulas principales patris bonor. possess. petit, à substitutionis pupillaris commo- do removetur, l. is, qui 22. de vulgari. Qui impugnat tabulas principales, impugnat appendices, vel accesso- rias, non è contrà. leg. post legatum 5. §. qui principale 14. l. heredi 15. de his, quib. ut indignis, iunctâ l. 2. eod. tit. Fal- si testamenti accusatio impugnatio est voluntatis, & indignitas, l. post legatum 5. §. 1. §. si pater 3. cū seqq. vbi extat huius rei declaratio. de his, quib. ut indignis, l. si te- stamentum 6. de heredit. petit. l. qui falsas 6. C. ad leg. Cornel. de fals.

4 Ille tamèn censetur impugnare iudicium de- functi, qui usque ad sententiam in lite perseveravit. Er- gò si in prima instantia, vel pendente appellatione de- cessit, vel desistit, vel absens fuit, non fit indignus, leg. alia 8. C. de his, quib. ut indign. l. qui cum maior 14. §. accu- saſe 8. de bonis libert. iunctâ l. in servitutem 16. §. petijſe 3. eod. tit. Nota, per poenitentiam aboleri indignitatis hu-

Minori per re-  
stitutionem ad  
versus appro-  
bationem suc-  
curritur.

Ex contrario  
facto nascitur  
indignitas.

Censetur im-  
pugnare, q.  
usque ad re-  
iudicatam pe-  
severat.

Ius causam usque ad finem litis posse.

Quod indignis  
i fisco aufer-  
ur, dicitur e-  
reptitium.

Explicatur  
v p. tit. 19. §.  
ege.

Quod his indignis auferatur à fisco, dicitur ereptitium ab Vlpiano lib. singul. regul. tit. 19. §. lege, ibi. Legem nobis adquiritur, velut caducum, vel ereptitium ex l. Papia Popaea, ubi magnus Cujacius sic ingenuè, & candide: Nescio, quid sit ereptitium. Quarè cum Professores nostros cernimus in hoc ipso vado hærente, & passim utrumque terminum confundere, nihil miramur. Postea recolens prætermissa in eiusdem fragmentis lib. 6. observat. cap. 37. in fine sic ait: Ereptitium forsitan dici verius est, quod quasi indigno auferatur leg. pen. de iure fisci. Quadrans eripiatur, leg. 25. ad leg. Cornel. de fall. Hereditas eripietur: utrumque eripitur ab indigno. Sic successutē poris perquisivit, quod prima ètate ignoravit. Antonius lib. I. disputat. cap. 13. versic. octavus, pag. mihi 190. qui palam ignorari se profidentem vidit Cujacium, nō vidit iam doctum, & docentem: nihilominus ipsi debemus expressiorem significationem, sic edocet: Ereptitium id dicitur, quod eripitur. At caducum dicitur, quod non eripitur, sed id, quod ante quam nobis adquiratur, præripitur: quasi ab eo cadamus; non quasi à nobis auferatur, aut eripiatur. Expressius deniq; magnus, & illustrissimus Præceptor meus D. Ramos in leg. si totam. de acquirenda hereditate numero 11. Caducum, ante quam adquiratur incapaci, cadit in fiscum: ereptitum indigno adquiritur, & quasi de manu eius eripitur post acquisitionem à fisco. A quo Egò doctus hos tres gradus frequentissima repetitione doceo Sectatores meos. Relictum ei, qui civis Romanus non est, vel non est in rebus humanis tempore testamenti, id est, ei, qui non habet testamenti factiōnem, pro non scripto appellatur; fisco non adquiritur, apud heredem remanet; quia nunquam constitit in persona honorati. Relictum cælibi, aut Latino, constitit ab initio in eorum persona, ceditque revocabilitè, si intrà centum dies legi pareant: quod si non pareant, cadit in fiscum, cui irrevocabilitè adquiritur: Ergò intrà centum illos

Differentia in-  
ter pro non  
scripto, cadu-  
cū, ereptitiū.

Vera cœssio, &  
irrevocabilitè  
post centū dies.

Ios dies celsio effectua non est, vt nec ceteroru*m* legatoru*m*. E*re*ceptum verò cedit effectu*m* in persona indigni, ab ipso adquiritur, cui postea fiscus eripit. Vide excus*s* nos*tr*os 4. & 5. de*ter*d. lib. 3.

6. Sequitur, vt videamus, quid amittat, qui de inofficiose dixit, nec obtinuit, ex eo quod indignus fiat: ad quod prænittenda est eiusdem Præceptoris doctrin*a* regula, à quo didici, quidquid cordatè in iuris prudentia scio, tradita in d. l. si totam num. 21. Omnes indignitates ex pœnâ legum profiscuntur: aliæ vero sunt, quia indigni in leges ipsas committunt: veluti si tacitam fidem accommodavit de restituendo fideicommisso incapaci. Nihil in testatorem peccat, qui impotius ei morem gerit suprà lictum, l. 3. de probat. l. si tacitum 13. ad leg. Falcid. princ. inst. de fidecommis. her. imò qui tacitè interpositam fidem frangit, duplicitis perfidiæ reus dicitur, l. vnic. in fine C. de his quise defer. iunct. traditis à nostro Amaya, in l. vnic. C. dedelator, lib. 10. num. 66. Aliæ, que ex lege etiam prouenient, caussam habent à testatore, cui vel non præstitit obsequium heres, vel cuius voluntatem indignus impugnavit. Veluti si inultam reliquit necem defuncti, l. 1. & multis alijs, C. de his, quibus ut indign. l. necessarios 5. §. non alias, l. sequens 15. §. 1. ad Senat. C. Syllan. Indignis primæ speciei negatur, quidquid iuris auctoritate consequi possent, non quidquid alias à testatore relictū est: satis enim puniuntur in eo, in quo peccarunt, l. ex facto 43. §. Iulius Longinus, de vulg. l. Iulianus 60. de legat. 2. Indignis vero secundæ speciei denegatur, quidquid iuris auxilio, & ex voluntate testatoris possent habere: quia tam de iure, quam de testatore male meriti sunt. Excipe ergo donationem inter viuos à patre in filium collatam, à qua non priuatur, l. etiam 11. hoc tit. Cætera prorsus amittunt, & fisco applicantur, d. l. Papinianus 8. §. meminisse, l. post legatum 5. §. si is cui 6. §. an libertas 16. §. alias causa 18. cum seqq. de his, quib. ut indign. l. editio 13. §. pen. de iuressi, cum alijs suprà adductis. Ad l. Aithales 24. ad leg.

Dottissim  
Præceptoris  
Illustrissimi  
D. Ramos,  
doctrina com-  
mendatur.

Duae indigo-  
rum species.

Quæ impugna-  
testamentum  
amittit omni-  
lucra ex eopro-  
uenientia.

Cornel. de fals. vbi quæ indicium de falso apud magistrum professa est, non priuatur relichto: recte respondent Accurs. & Gothofred. item Cujac. lib. 6. obseruat. cap. 24. profitari: indicium, non esse accusare, nec testificari, sed propalare parti, vel iudici causiam, quam habet suppositionis, existimandique falso esse testamentum: quod non sufficit ad indignitatem incurriendam: quia minus est, quam perhibere testimonium. Auson. eidilio 2. In dice (sic legit Scaliger) me nullus, sed neque teste perijt. Non etiam obstat text. iul. Lucius 88. §. Sempronia 4. delegat. 2. quia ut ibi respondent Bartol. & Cujac. non arguit testatorem, aut testamentum, sed heredis dolum. Ideo verò non amittunt quartam Antoninam, quia ex contractu debetur, d. l. Papin. 8. §. sed nec impuberis.

*Diferentia inter approbationem, & impugnationem.*

7 Iustamèn impugnandi testamentum, non est metiendum ijsdem regulis ad suos effectus; ac ius approbandi iudicium: quarè differentias inter ytrumque in præsenti perstringam. Si is, qui accusat falso testamentum, heres existat ei, qui patris sui heres fuit: vel qui dixit in officiosum testamentum: non repellitur ab hereditate, quam non obtinet ex iudicio patris, sed per successionem. Idem dicendum est, si heres sit legatarij patris: quia nec repellitur à commode, aut petit lone legati, d. l. post legatum 5. §. qui accusavit 7. cum seq. Per contrariū, si ab heredibus patris peteret legatum relictum ei, cui successit, remoueretur à quærela. Ratio est, quia tantum sit indignus commodi, quod immeiatè prouenit ex testamento. Ut is, qui voluntarium patrocinium præbet petenti legatuni, repellitur à quærela, vel bonorum possessione contrà tabulas: quia censetur approbasse iudicium: ita qui adfuit accusatori, vel quærenti indignus est, d. l. post legatum 5. §. et at 9. nisi necessitas officij illum excusat, §. ad vocatum 13. eiusdem l. Excipe nihilominus casum, l. qui cum maior 14. §. si patroni 9. de bonis libert. in quo non punitur, qui præstat aduocationem accusatori liberti: quia tantum indignus est, qui accusat ex illa parte edicti: at ex nostra, qui impugnat etiam

etiam indignus fit; quare & punitur, qui accusationem quomodolibet souet. Quæ differentia à Pichardo, & plerisque Institutionum Interpretibus annotatur, in §. *sutor. hoc tit.*

## CAPVT XXIV.

*AD TRYPHONINVM LIB.*

17. *Disputat.* in l. filius non impeditur 22.

hoc tit. & lib. 5. in l. tutorem 22.

de his, quib. vt indign.

**Q**VI occæpimus aduersaria à Tryphonino, iusta, & symmetrica oratione, in illo postremum collocamus laborem. In princip. d. l. 22. extat regula: posse filium ex propria sua persona accusare testamentum matris in officium; quamvis in patris potestate sit: quanquam pater eius à matre heres institutus adijsset hereditatem; vel legatum accepisset. Allarum quippe iniuriarum actiones ita sunt filij, vt patri adquirantur, §. patimur 2. inst. de in iurijs. Hæc proprissima, & personalissima filij est, vt agnoscit noster Pichard. *ibidem num. 13. & 14.* Alias remittere, & condonare pater solet, l. in persona 30. de pact. Hanc non potest, in qua de demeritis solius filij agitur, optimè, & ad rem noster Valentia, lib. 3. illustr. tract. 2. de adq. her. num. 24. Vnde concludit, nec patrem prohiberi iure filij accusare: id est, licet nomine filij pater accuset inofficium testamentum vxoris suę: poterit nihilominus agnoscere legatum sibi relictum; & adire hereditatem; eritque heres, & accusator. Aditio patris non remouet filium a quærela: accusatio à patre instituta nomine filij non facit illum indignum portione heredi-

*Ius quærelæ totum tibi filij ex cuius persona agis pater.*

*Personalissimum, quod pater non potest remittere.*

Fili⁹ indignatio est, & per consequens indignitas. reditatis sibi rei sita, neque legato, quod in testamento acceperat. Rationē vtriusque positionis exprimit Tryphoninus illis verbis: nam indignatio filij est. Ludit in antitheto, siue in allusione verbi, & est sensus. Indignatio filij est: ergo eiusdem est indignitas: pater non indignatur, ergo pater non est indignus. Indignatio significat iracundiam: Græci dicunt ΤΟ AKPEΙBES. Existimo, ponendum esse in hoc textu, patrem fuisse ex parte institutum: quia absurdum esset contrā se ipsum solum posse nomine filij de inofficio quo queri. Imo, & filius assisteret liti poterit, si patrem de collusione suspectum habeat, argum. ex l. si suspecta 27. hoc tit. Inuito autem filio pater querelam mouere non potest, vt suprā notavi ex l. Papinianus 8. eod. tit. Itaque totum hoc iudicium filij est, siue à patre ex persona filij, siue ab ipso filio actetur.

Pater inuito filio non mouet querelam. Litteralis expositio versiculi.

2 Ad versic. ET QUÆREBATVR. Inquit Tryphoninus: Et querebatur, si non obtinuisse in accusando, an quod PATRI datum est, publicaretur? Quoniam ALII. comodum victoriae parat. Pudet dicere, plurimos, & doctissimos Iuris Interpretes errasse in grammatical construētione huius versiculi. Ignoscant studiosi nostri, quibus haec aduersaria destinamus, si egero ludim agriculū, oblitus professoriae dignitatis. Quare, quæ sit persona agens illius verbi non obtinuisse? Est nunquid pater, vel filius, nam de utroque loquutus fuit Tryphoninus in principio textus? Proculdubio est filius; qui in querela principia persona est, non pater, qui nomine filij agit, tanquam eius minister: pater non est persona agens, quia nihil agit ipse ex sua persona. Ergo sensus est queritur, si filius non obtineat, an publicetur, aut filio auferatur, quod patri datum est: si pater esset persona agens, non dicaret Tryphoninus, quod patri datum est; sed quod ipsi. Haec est naturalis explicatio huius clausulæ, quam non per innouationem inducimus, sed acceptam ferimus Vbertino, & Socino, quos laudat, & sequitur Arias Pinnellus, in l. 1. C. de bon. matern. I. part. num. 24. & duob.

seqq.

seqq. Pinellum vero sequuntur Caldas Pereira, in l. fieu-  
ratorem habens, verba, L. f. num. 124. versie, retentæ. Scipio  
Gentilis in nouissimis editionibus ad tit. C. de bon. matern.  
capit. 5.

3 Ratio dubitandi extat in illis verbis: quoniam  
*ALII cōmodum victoriae parat.* Filius parat victoriae com-  
modum alij. Victoriae de inofficio testamento com-  
modum est hereditas. Sic in l. posthumus 6. §. 1. hoc tit.  
alius rescindit testamentum, quando proximior nō est;  
& alius, qui est proximior, reportat victoriae commo-  
dum, id est hereditatem. Sic filius, qui obtinet, iniu-  
riani sibi illatam vlciscitur; sed commodum victoriae,  
id est hereditatem, alij adquirit, id est patri, in cuius po-  
testate est; ergo cum totum commodum sit patris; pa-  
tris debet etiā esse indignitas. Igitur, si non obtineat,  
publicandum est legatum patri datum, & hereditatis  
portio ipsi relata. Est enim æquitati naturali consentaneum,  
ut qui ex victoria compendium, commodum re-  
portat; reportet quoque ex casu aduerso dispendium  
indignitatis. Agnouit hunc sensum Pinellus, ubi proxi-  
mè num. 26. post Alciat. quem ciet. Sed parum necessaria  
ratio pro alijs reponit illi: quia idem in hoc themate vtrū-  
que verbum significat. Ratio verò decidendi in illis ex-  
stat, & in hac causa nihil ex officio patris, sed totum de meritis  
filij agitur, quasi dicat, in contrarium mouet, quod in cau-  
sa quærelæ potius attenditur iracundia, quam compen-  
dium: in qua iuxta speciem propositam, de officio pa-  
tris non quæritur: sed de filij meritis: persona filij spe-  
catur; officium, quasi procuratorum patris insuperha-  
betur: vnde sic concludit. Et inclinandum est, non perdere  
patrem sibi datum, si secundum testamentum pronuntiatum fuis-  
set. Sic exponendæ sunt conclusio, & rationes huius ver-  
sicul.

4 Richardus Malumbrinus, & post eum Accursius  
verbo alijs commodum, quos sequuntur Alciatus, lib. 4. pa-  
rerg. cap. 3. Lancellotus Pollitus de vulgari substitut. num.  
43. Anton. Fab. in ration. & mille in locis, Antonius Pi-

*Commodum  
victoriae, quid  
sit in querela?*

*Diversæ exponi-  
tiones refe-  
runtur, que ve-  
ro sensui non  
adaptantur.*

chard. in lectruris Salmantic. ad tit. de adquir. hered. cap. 15. num. 11. qui illud verbum non obtinuerit referunt ad patrem, verbum alijs referunt per cōsequens ad filium; tentantes ex hoc textu, ut ex alijs nō recte expositis, filium iure Digestorum adquisitionis fuisse capacem. Fulgosi, qui in eodem sensu accepit clausulam; cōmodum victoriæ exponit, delere exhereditationis notam, qui est effectus p̄cipuus, quamvis bona ad patrem spectent per adquisitionem: quam interpretationem amplectuntur Socius, Bellonus, lib. 4. supputat cap. 4. Cujac. lib. 17. obseruat. cap. 17. & in recit. ad hanc. & lib. 9. qq. Papin. in l. cum filio 11. de legat. 2. & in alijs locis. Valentia d. tract. 2. num. 23. & 24. Pichard. in §. 1. num. 3. per quas person. nob. adquir. Bartolus verò commodum hoc interpretatus fuit, de iure adeundi maternam hereditatem, quod nactus fuit filius rescilo per quarelam testamento, quamvis hereditatem patri adquisitus sit. Quæ variationes processerant ex non recte percepto sensu Tryphonini.

Quod dixit de  
patre extēdit,  
ad heredem,  
qui prosequi-  
tur præpara-  
tam quarelā.

5 Ad §. Multo magis. Continet extensionem prædictæ sententiæ, quæ sic est exponenda. Pater, qui nomine filij perfert quarelam, ut eius honori consulat, vt iniuriam illatam per notam exhereditationis filij vesciscatur, licet non obtineat, non fit indignus; quia ex pietatis officio, quod filio impendit, excusat. Ergo si heres filij prosequatur quarelam in se transmissam, quam filius ipse præparaverat; quamvis succumbat, non amittit legatum, vel portionem hereditatis sibi datam in illo testamento, quod nomine auctoris sui inofficiosum accusavit. Necesse enim habuit pro se qui quarelam causam, vt prospiciat honori filij exhereditati. Singularis est locus, potest verò per argumentum expendi text. in l. qui cum maior 14. §. si minor. 2. de bonis libert. Breuius sic explicatur comparatio. Pater filij in potestate constituti, qui eius nomine de inofficio loquetur, non fit indignus. Ergo heres filij, qui contrà matris testamentum prosequitur cæptam quarelam à filio, non fit indignus.

In

In casu patris loquitur de filio in potestate constituto: in casu filij, loquitur de filio emancipato, vel de filio militi, vel de illo matris filio, qui testamenti factiōnem acti vam habuit.

*6 Ad §. item si adrogaui.* Secundani continet extensionem immediati §. Mater preterivit, vel exhereditavit filium: Titio legatum dedit. Filius se dedit in adrogationem Titio legatario: itaque tempore natę quarele erat pater familias, sui iuris; postea transiit in sacra patris adrogatoris: adrogator, idemque legatarius ex testamento matris, illud idem testamentum nomine filij adrogati inofficium dixit, nec obtinuit; quæritur an fiat indignus legati sibi dati? Negat Tryphoninus: quia si consideratur ut pater, quemadmodūm non fit indignus pater naturalis; ita nec pater adoptivus: quia eodem iure, & ex eodem officio ambo accusant. Si consideratur ut heres, quia per quamdam successionem suscipit adrogatum, & eius bona, l. scio 6. de integr. restit. l. qui ex liberis 11. §. testamento, de bon. posseß. secund. tabul. tit. inst. de adquisit. per adrogationem, qui ut heres accusat, non fit indignus: quia non egit proprio nomine, sed filij præteriti, vel exhereditati dolorem leniens, eiusque nomine.

*7 Ad dict. l. tutorem 22. de his, quib. ut indignis.* Hieronymus Zaballoς in speculo suo appellavit communem contrā communem hanc quæstionem, utrum licet tutori pupilli sui nomine falsum patris pupilli testamentum accusare, quest. 164. Quæ dilucidius, & verius ex hoc textu explicabitur. Primo proponitur regula, tutorem, non perdere legatum sibi datum in testamento patris, si pupilli sui nomine illud testamentum dicat inofficium, vel falsum. Ergo potest illud accusare; alioquin esset quæstio de subiecto non supponente. Nota comparationem; ut pater naturalis, vel adrogator, qui accusat filij nomine inofficium testamentum, non fit indignus: ita nec tutor, qui falso, vel inofficium patris testamentum accusat: quia officij necessitas, & tutoris fides excusat esse debet, inquit egregie

*Et ad patrem  
adrogatorem.*

*Tutor, qui non  
mine pupilli  
accusat, non  
fit indignus.*

*Explicatur,  
Tryphonini,  
text. in l. vlt.  
de postul.*

Tryphoninus. Ex hac causa Antoninus Caracalla, sub quo noster Consultus floruit, ut notavi lib. 8. Opusculor. cap. 12. num. 7. constituit, ut tutor, qui in negotio contra patrem aduocatus fuit, si filij postea tutelam cœperit administrare; possit velū vertere, & cōmutare officia; adesseque advocatus pupilli, & pro pupillo in eodem negotio. Quanvis non fuissest advocatus voluntarius contrā patrem, sed necessarius, veluti si advocatus fisci fuit, leg. vlt. de postulando, quæ est eiusdem Consulti: ex eodemque lib. 5. disputat. Exuberantior Principi viâ fuit fides, quam debet tutor pupillo, quam debita fisco ab advocate suo. Notanda est hæc differentia, cum alio-  
*Maior fides  
debetur pupil-  
lo à tutori,  
quam à suo ad-  
vocato fisco.*  
 qui fisci advocatus tutori soleat comparari à multis apud D. Larræam 1. tomo allegat. 2. num. 14. Itaque ut à prævaricatione excusat tutorem officij necessitas, ità à poena indignitatis eum excusat. Sic similitè si pupilli libertum capit is accusaverit tutor, qui & ipse patronus est, non repellitur à successione liberti, quæ sibi competit, nec à bonorum possessione contrā tabulas: quanvis alioquin, qui capit is libertum accusat, renoveatur. leg. 3. §. si capit is, l. filij 9. §. 1. leg. cum patronum 10. l. qui cum maior 14. de bon. libert. l. si filius 33. §. 1. de fideicommiss. libert. Inculcat rationem non minori elegantiâ Tryphoninus. Nec quisquam, inquit, iudicum calumniâ notabit tutorem, qui non suis simultatibus accusationem sub nomine pupilli instituit, sed cogente forte matre pupilli, vel libertis patris instantibus.

8 Ad verfic. et si tutor. Attextit superiori quæstio-

*Finito officio  
cessat obligatio  
tutoris pre-  
quendi accusa-  
tienem.*

nem affinem. Finge tutorem pupilli sui nomine aliquem reum postulasse, accusationem instituisse, subscripsisse in crimen obiectum. Postea finitam fuisse tutelam pubertate pupilli: quæ finitæ cessasse. Quæritur, utrum incidat in poenam S. Conf. Turpilliani, quasi desistisset, de qua in leg. 1. ad Turpill. Hadrianus Imperator, iam constituerat in casu mortis pupilli, non incidere in poenam tutorem, quanvis desisteret, leg. Divus 14. eod. tit. Cuius constitutionem Tryphoninus properter

ter identitatis rationem extedit ad casum pubertatis: non ergò punitur; quia officij necessitate adactus, non proprio nomine, prosilierat ad accusandum: ergò finito officio, fuitur necessitas prosequendi. Sunt quippe discreta iura officij, & personæ: officium ipsum accusabat, non persona: vnde ad præcedentem inspectionem concludit, tutor accusavit testamentum, non legatarius: ergò legatarius indignus fieri non debet propter accusationem tutoris. Vide ad rem Pinellum *in l. 1. c. de bon. matern. 1. part. num. 2. 6.*

9. Ad versicul. denique. Concludit Tryphoninus. Tutor, qui falsum, vel inofficiosum testamentum dicit pupilli nomine, non fit indignus legati sibi dati: ast si ipse pupillus indignus fit, & ipsi datum legatum auferitur, si succumbat: quia quod egit tutor, perinde est, ac si egisset pupillus: fit ergò pupillus indignus ex facto tutoris. *leg. qui cum maior 14. §. 1. de bonis lib.* Videlur hoc ius acerbum, punire pupillum ex facto tutoris. Vide tamen, quomodo mitigetur. In primis si tutor facilè prosilit ad accusandum, ex proprio arbitrio, & Marte, matre non cogente, necessarijs non instantibus; manet ipse obligatus pupillo actione tutelæ, *l. Polla 2. C. de his, quib. vt indign.* Imò si tam facilè prosiluit, vt libenter prosiluisse videatur, prætexens officij necessitatem, cum revera ex proprijs simultatibus contenderet, indignus fit legati sibi reliqui. *leg. post legatum 5. §. ei, qui 15. ff. eod. tit.* Quod si iusta causa ab initio visa fuit, postea verò, vt sunt litium eventus incerti, succubuit pupillus victo tute, etati parcitur concessà restitutione ex rescripto Severi, & Antonini, de quo d. *leg. post legatum 5. §. etati 9.* Quæ fortè à Prætore non concedebatur, sed ab ipso Principe, vt potè quæ contrà suum erat fiscum, vt Tryphoninus expresit in præsenti. Postea verò nihil dubito, quin Prætores hanc sibi arrogarent auctoritatem; cum ex eorumdem Cæs. rescripto filius iuris communis sequi auctoritatem iubeatur *in leg. 1. Cod. si adversus fiscum.*

Pupillus vero  
ex facto tutoris fit indignus.

Hæc iniquita  
qualiter suis  
set tempera-  
ta?

Extensio facta  
per Iustinianum.

10 Hæc elegantèr, acritèr, subtiliter disputavit Tryphoninus de tutore heredē scripto, vel legatum accipiente, qui non sit indiguus, licet pupilli nomine in officiō sumi accuset testamentum, in quo honoratus fuit. Iustinianus verò è converso in l. cum quædam 16. C. de legat. consequentèr constituit: vt si ipse tutor p̄teritus, vel exheredatus sit, & pupillus ipsius meruerit legatum: non censeatur approbasse iudicium patris, neque removeatur à quærela, aut contrà tabulas; quamvis nomine pupilli legatum agnoscat: quia non liberitèr agnoscit, sed ex necessitate officij. Concordat leg. nosfrā 13. tit. 7. Part. 6. Et hæc pro instituto adversario- rum dixisse sufficiat. Gratias referamus Deo,

Saluatori nostro D. Iesu Christo. Deiparae

intemeratae & immaculatae Virginis

Mariæ, qui intèr negotio-

rum strepitū nobis

hæc otia fa-

ciant.

## LAVS DEO.



## INDEX

199

# INDEX CAPITVM,

## quæ in his adversarijs continentur.

### EX TITVLO DE BONORVM posseſſ. contrā tabulas.

**C**A P. 1. quid sit bonorum posſeſſio contrā tabul.

contra lignum.

Ad Tryphoniam in l. quod vulgo 19. h. t.

Cap. 2. seorsim exponitur idem Tryphonin. lib. 19. disputat. secundum indicem Iacobi Labitti, in l. solum 20. h. t.

Cap. 3. quibus bonorum possesſio contrā tabulas competat?

Cap. 4. de præteritis filijs: & qui sunt præteriti?

Cap. 5. quibus hæc bonorum possesſio non competit.

Cap. 6. de his, qui approbant iudicium defuncti.

Cap. 7. de effectu bonorum possessionis contrā tabulas.

### EX TITVLO DE LEGATIS preſtandis.

Cap. 8. de conſeruandis legatis exceptis personis: quæ ſint iſtae? Quo tempore impiciendum ſit, an ſint ex numero exceptarū? Ad textum, in l. intervenit 24. h. t.

Cap. 9. de intellectu, leg. fiducibus 14. in princip. de bonorum posſeſſ. contrā tabul. l. is, qui in potestate 15. l. fiduo 16. h. t. Vbi per quinque conclusiones exponitur, qui tenentur preſtare legata ex hac parte edicti.

Cap. 10. filium præteritum aliquando preſtare legata exceptis personis petitæ bonor. posſeſſ. contrā tabulas.

Cap. 11. de eo, qui omit-

omittit contrà tabulas, vt ab intestato possideat, ad l. quia autem 6. §. vlt. si quis omiss. caus. testam.

Cap. 12. quæ sit virilis portio, quæ exceptis ex legatis, & institutionibus conservatur.

Cap. 13. de alia, diversaque computatione virilis portionis, quoad hanc partē edicti. Seorsim exponitur Tryphon. text. in l. vlt. de coniungend. cum emancip.

Cap. 14. de novo rescripto Imperatoris Marci Antonini Philosophi, vt nepotes ex emancipato suscep- ti, mortuo patre, coniungā tur cum patruo ad l. emancipato 4. de coniungend.

Cap. 15. à quo gradu prestanda sint legata, petitabo norum possesi. contra tabulas. Non esse locum tacitæ repetitioni. Ad l. sed & si 10. §. non omnia 2. hoc tit.

#### *EX TITVLO DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.*

C AP. 16. quod cōtinet communia, & prima rudimenta tituli.

Cap. 17. explicatur lex Papinianus 8. §. quarta, h. ei tul.

Cap. 18. quibus, & adversus quos quærela competat.

Cap. 19. quibus cum remedijs concurrat quærela; & quibus cum non possit cōcurrere? Explicatur lex, qui de inofficio 20. h. tit.

Cap. 20. de preparatio- ne, & transmīsione quærelæ, vbi de iure accrescen- di, & successorio edicto in ea disputatur.


Cap. 21. de effectu quærelæ in officiosi testamenti.

Cap. 22. quibus modis quærela finiatur: & primò de renuntiatione, & remis- sione,


Cap. 23. de alijs modis facitæ renuntiationis, qui- bus quærela finitur. Deque indignitate ab impugna- tione.


Cap. 24 ad Tryphoninū lib. 17. disput. in leg. filius non impeditur 22. hoc titul. & lib. 5. in l. tutorem 22. de his, quibus ut indignis ause- runtur.

*Salmantica. Ex Officina Antonij à Gossio,  
Typographi Vniuersitatis.*









750

-E

G